# ELEMENTA

# PHILOSOPHIÆ MORALIS

COLLECTA

A

MARCH. D. JOANN. COSTA

PATRITIO GENUENSI

J. U. D.

LIGURIS ACADEMIÆ HISTORIÆ PATRIÆ

SOCIO.

GENUÆ

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI

MDCCCLXIV.

# ELEMENTA
# PHILOSOPHIÆ MORALIS

COLLECTA

A

MARCH. D. JOANN. COSTA

PATRITIO GENUENSI

J. U. D.

LIGURIS ACADEMIÆ HISTORIÆ PATRIÆ

SOCIO.



GENUÆ

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI

MDCCCLXIV.

MINISTERO
DELLA
ISTRUZIONE PUBBLICA

Gabinetto particolare
N.° 2332.

Torino 30 Gennaio 1861.

Al Marchese D. GIOVANNI COSTA
Avvocato.

*Genova.*

Chiar.^mo Signore,

*Il sottoscritto ritorna alla S. V. Chiar.ma il Manoscritto che Le piacque mandargli a leggere; e gode che Ella abbia saputo trovare alla trattazione della sua Etica un ordine assai acconcio allo insegnamento e una forma latina pura ed elegante.*

*Lo scrivente pensa che siffatto lavoro non sarà per tornare sgradito ai coltivatori delle scienze morali, e di non poco vantaggio alla gioventù studiosa; e nel rallegrarsene con la S. V. Chiar.ma, La prega di accogliere i sentimenti dell'alta considerazione con cui se le rafferma*

*Il Ministro*
T. Mamiani.

# DE MORALI DISCIPLINA

SEU

## DE MORIBUS HOMINUM DIRIGENDIS

LIBRI QUATUOR

---

### PROŒMIUM.

Jure quidem Philosophiam, dixit Tullius, donum et inventum deorum; quo nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. (Tuscul. quæst. lib. 1. cap. 26.). Si enim ipsius est

universam contemplari Naturam, si omnia tum divina, tum humana sinu suo complectitur, Philosophia est, quæ hominem originis suæ dignitati accommodat, eaque duce is super creaturas omnes extollitur, atque ad nobilissimum sibi cœlitus præscriptum finem adducitur.

Sive terrestribus consistat philosophus, sive audax oculos sursum evehat, ut innumera illa et immensa con-

sideret corpora quæ aere veluti suspensa, imaginationem perturbant et mentem in ecstasim rapiunt, aut rursus ad ima descendens vegetabilium atque animalium incredibile magisterium investiget; a sensibus inde remotus, spirituum dotes et eorumdem cum rerum ordine, cum rerum omnium auctore connexionem animo revocet; quocumque tandem se vergat, ubique summam admiratur potentiam atque

sapientiam, quâ omnia facta sunt, quà omnia fortiter simul suaviterque reguntur. Hinc se, hinc omnia ad Deum refert; eique laudem, honorem et amorem, spontaneo quodam naturæ motu dedicat et offert. Nil igitur magis ad virtutem inflammat atque hominem perficit, ingenua illa philosophandi ratione, quâ dum veritatem inquirimus, nunquam obliviscimur Dei, qui fons est totius veritatis.

Quod si partes omnes Philosophiæ, et singula quæ in amplissimo sapientiæ studio pertractantur, Divinæ originis haberi debent; id majori jure affirmandum de illa Philosophiæ parte quæ cum moribus hominum informandis riteque dirigendis sit instituta, Ethices seu Philosophiæ Moralis nomen obtinuit. Reliquæ enim in sola rerum contemplatione versantur, facem ipsæ præseferunt, quâ ex sensibilium

cognitione Deum agnoscamus: hæc vero non solum honestatem contemplatur, sed operis etiam modum perscribit; hæc efficit ut honestatis amore et virtutum ornamento Deo ipsi coniungamur. Ceteræ Philosophiæ partes nec omnibus innotescunt, nec ab omnibus inquiruntur; hæc singulis nota esse debet atque ubique lucere: nulli præclusa (*Senec. de Benef. lib.* 3. *Cic. lib.* 1. *de Leg.*), omnibus patet, omnes

admittit, omnes invitat; nec est quisquam gentis ullius qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit. Illæ denique ad rerum naturam investigandam nos impellunt, hæc ad beatitudinem nos dirigit, quam perenniter cupimus atque jucundissime consequimur.

Quin potius infinita propemodum quæ sapientia complectitur, nihil ad hominis bonum conferre possunt si a morum scientia sejuncta

supponantur: *Cognitio contemplatioque naturæ* (*Tull. de Offic. lib.* 1) *manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur.*

Finis itaque Moralis Disciplinæ est beatitudo nostra, ad quam regia et tutissima via nos dirigit: objectum vero sunt voluntatis actus, quatenus honestatis legibus perfici et ad finem dirigi possint.

Exinde facile intelligitur quo ordine sit pertractanda;

si enim ad beatitudinem veluti ultimum finem nos dirigit honestate morum; de beatitudine et de summo hominis bono disserere debet. Deinde vero de humanis actibus, quibus veluti mediis eadem felicitas comparatur. In quatuor igitur libros tractatum hunc dividimus: in quorum primo de beatitudine, in altero de lege Naturali, in tertio de actibus humanis atque honestate, quæ in ipsos induci debet;

ultimo tandem loco de juribus et de officiis agemus; ubi varia præcepta quæ singulis hominibus et quæ variis hominum conditionibus convenire debent, explicabuntur.

---

# LIBER PRIMUS

## DE BEATITUDINE
## SEU DE ULTIMO HOMINIS FINE.

Gradum atque aditum ad Moralem Disciplinam præbere debet omnis instituendi cognitio. Morum regulæ ex natura hominum atque ex eorumdem relationibus impelluntur, quemadmodum leges corporum ex eorum essentia, ex vinculis quibus singula cum singulis col-

liguntur necessario derivant. Frustra hinc investigarentur præcepta et officia humanæ vitæ, frustra loqueremur de fine vel summo bono, nisi primum constituta sit hominis natura, ex qua inventa vitæ via est conformatioque omnium officiorum, ex qua id cognoscitur quod omnes expetunt. P. Syrus.

Hoc itaque libro consideranda primum est hominis natura atque id cujus gratia ad operandum allicitur, id nempe quod animo obversatur cum agimus, et quod liberam et flexibilem animi vim in unam potius quam in alteram partem inclinat. Hinc quæstione explanata variisque expensis philosophorum sententiis, ingenua demonstrabitur et vera de ultimo hominis fine opinio. Ex quo demum progrediemur ad constituendam legis cujusdam necessitatem.

# CAPUT PRIMUM

## DE HOMINIS NATURA.

Natura hominis ea est ut omnium creaturarum rerum particeps sit. Corpore constat organis instructo atque substantia quadam partium omnium experte, spirituali et immortali quæ corpori strictissime devincitur. Et ad constituendum corpus omnia ferme conferunt elementa; mens autem illius innumera complectitur: rerum ideas comparat, eas jungit vel dissociat, regulas generales infert, artium scientiarumque principia, artes quoque ipsas invenit perficitque, in proprias denique dominatur ideas, operationes et affectus, omnesque temperat corporis motus. Hinc planum est hominem utriusque subiici legibus, physicis

nempe quoad corpus, moralibus quoad animum; frustraque conaretur vel ut vitam gerat plantarum instar, vel ut a corpore inertiam explicet. Quod potissimum experimentibus nobis obversatur corpus humanum est ipsum esse animal. Homo itaque sicut et cætera animantia generatur, nascitur, adolescit, in senium vergit et moritur: textura partium interna brutorum generi perfecto assimilatur; vita ejus sensibilitate, respiratione et sanguinis circumlatione constat; organis instruitur tum ad sui conservationem, tum ad speciei propagationem idoneis. Inde hominem pluribus indigere patet; hinc voluptate, dolore et naturali quadam cupidinum serie excitatur quæ illum indesinenter extimulant. (*De præstantia vero corporis humani vide Cic. de leg. l. 1. §. IX. Et ipse Ovidius:*

» Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
» Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
» Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. »
Met. 1. v. 84).

Rationabilitas humanæ mentis est id quo homo a cæteris animalium generibus essentialiter distinguitur: ratio hominem veluti Naturæ regem constituit, ipsumque demonstrat perfectissimum opus, quod ex Summi Artificis manibus et consilio prodierit. Ratio hæc, hæc mens corpori strictissime conjuncta, a corpore dependens, sensibilium tantum concipiendis ideis apta videretur secundum naturam sensuum quos ad concipiendum adhibet; at constituto corporis ope sensibilium idearum apparatu, seu impressa evolvat veritatis principia, seu ut aliis arridet, mirifica utatur reflectendi facultate, ita supra corpora extollitur, ut quæ a materia sejuncta sunt percipiat et contempletur. Generalia cudit

cognitionum principia, rerum omnium relationes detegit, effectuum caussas expendit et invenit, ad altissimas assurgit veritates, ipsisque convenienter evolutis atque accommodatis, amplissimum sibi comparat sapientiæ promptuarium. Spiritus dotes leges virtutem singulorum hominum intelligit; infinitum denique creaturarum spatium pervadens ad Deum lucem inaccessibilem abitantem advenit, sui ipsius opificem, omnium caussarum caussam, totius veritatis fontem; ens quod est summum bonum dulcissime contemplatur.

Neque tota humanæ mentis vis in intellectu sita est; summà ipsa activitate donatur, per infinitam actionum varietatem se se exerit atque evolvit, eoque ordine quem Logici et Psycologici prosequuntur. Per ipsam agendi facultatem agit etiam extra se, nempe in corpus

cui colligata est, ejusque auxilio in cætera corpora quæ circumstant. Cum primum homo in rerum cognitione adoleverit atque usum rationis attigerit, dolore voluptate et ratione eâdem admonitus objecta bona a malis discernit, hæc adversatur, illa appetit; innumeræ excitantur in animo appetitiones, adversiones, amores et odia; affectibus inde omnibus commovetur qui illum ad agendum extimulant.

His vero animi perturbationibus, non cæco quodam naturali impetu quemadmodum bruta impellitur homo. Ratio quidem objecta inter se confert, bonum verum a falso et apparenti internoscit, voluntati facem præbet, finem proponit, illumque naturali hominis dignitati accommodat.

Licet autem voluntas boni semper intuitu se determinet æternumque agat

nec agere possit nisi præsentis aut futuræ felicitatis amore permota; plenissimum tamen habet suarum actionum dominium, nulla vi extrinsecus cogente, nullaque intrinsecus impellente necessitate, sed proprio solum arbitratu ad agendum adducitur. Homo itaque libero donatur arbitrio et eligendi facultate, atque in ejus sunt potestate appetitus, affectus, immaginatio; quo fit, ut sibi et omnibus quæ circumstant imperet et dominetur.

Hac nobilissima mente, hoc corpore ad animi servitium aptissimo sublimioribus et præstantissimis actionibus efficitur idoneus. Vel ipsi historiæ tyrones intelligunt quænam et amplissima animo consilia agitaverit, et quo mirifico mentis corporisque robore perfecerit. Homo terræ faciem mutavit, ad sui servitium adegit, nullo perterrefactus labore: ele-

mentis quidem non imperat, cum Dei sit mundi ordinem immutare; sed ad proprios usus inflectit atque ita compellit flectitque, ut suæ conservationis commoditatis et voluptatis instrumenta sint.

Magnitudo autem hæc et præstantia hominis tum in suis cum creaturis omnibus relationibus, tum in ejus cum Deo conjunctione plurimum elucet. Deus hominis conditor est: quisque enim leviter intelligit se sui opificem non fuisse sed ab alio extitisse; hinc ne absurdissimum caussarum progressum in infinitum admittat, caussam primam necessariam independentem, Deum scilicet fateatur oportet.

Deus itaque hominem præ cæteris animantium generibus privilegio donavit, visibilium omnium regem fecit, plurima propter ipsum operatus est: hominem solummodo spectare videntur ipsius consilia et beneficentissima Providentia. Igi-

tur singulari religione Deo consociatur homo, eum super omnia diligere et venerari debet; et si quæ alia sunt devinctissimi et obsequentis animi officia exhibere.

Insuper cum et corpore constet homo et corporibus indigeat ad eas res parandas tuendasque quibus actio vitæ continetur, ad cætera refertur corpora amotus, et a sensationis legibus declinare non potest: mente vero propemodum infinita rerum seriem attingit, cognitionem rerum ad beate vivendum necessariam ducit; ex quo intelligitur rebus ipsis obnoxium esse et veluti colligatum.

Utrumque, sensibilitas nempe et intelligentia uberrimus fons est voluptatum quæ vel ab actione corporum producuntur, vel a veri inventione, vel *quod*, ipse ut observat Tullius, *unum sit animal*

*quod sentiat quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, qui modus.* (*De offic. l. 1. IV*).

Tandem Natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitæ societatem, ingeneratque in primis quemdam amorem in alios homines, impellitque ut hominum cœtus inter se celebrari et a se obiri velit. Homo itaque in societate constituitur quâ vita ejus tuta est; atque exinde amplissima proficiscitur bonorum copia, quibus omnino careret si a cæteris sejungeretur hominibus.

Hæc vero quæ de hominis natura et dignitate dicta sunt non ita intelligenda esse novimus, ut homo vitiorum fœditate consctrictus ab ingenita dignitate discedere non possit. Libero enim gaudet arbitrio, nobilissimis corporis animique dotibus ad sui perniciem abuti potest; stupiditate aut errore ingenium depri-

mere, atque vilissimis voluptatibus addictus animum ad Divinitatis immaginem factum fœdare. His autem homo natura sua non exuitur: locum in quo a rerum Opifice constitutus fuit necessario tenet; et quemadmodum virtutis præstantia altius ascendere nequit, ita neque in entium catena ex proprio angulo in annulum humiliorem deprimi.

Quo circa miramur profecto monstruosam Helvetii opinandi rationem, qui totis nervis cum brevi asseclarum turba intendit ut hominem brutis assimilet, et excepta corporis externa compage brutis coæquet. Nos ratiocinari nolumus cum illis qui se rationem non habere profitentur. Si enim præstantissimas hominis facultates, si humanam speciem jugiter se ipsam perficientem; si loquelam, si scientias, si humanas artes expendentes ex

proprio delirio non excitantur, mirificam ipsorum commiseramur insaniam.

His vero obiter dictis ad instituta pergamus. Liberum hominis arbitrium nocens esset donum, nisi principio quodam intrinseco ad agendum excitaretur; si nullus esset actionum finis, si nullum centrum quò appetitiones, affectus, actionesque omnes peterent. « Che sarebbe
» una nave (Spedal. Dir. dell' uomo
» cap. 1) senza timone esposta all' im-
» peto dei venti ed all' incostanza dei
» flutti? tal sarebbe l'uomo se la vo-
» lontà sua non avesse punto d'ap-
» poggio: tutte le azioni che formano
» la tela della vita si farebbero *a caso:*
» non si vedrebbe in esse un *ordine,*
» un *disegno,* un *perchè;* e dippiù, cor-
» reremmo ogni momento *rischio* di
» perderci. L'idea generica del bene,
» sempre presente allo spirito, e da cui

» la volontà non può mai dipartirsi
» è la fida sentinella che ci avverte
» dei pericoli, il timone che dirige
» il cammino, il punto immobile del
» compasso che mette in tutte le nostre
» operazioni una regolarità, una cor-
» rispondenza, un' architettura degna
» dell' Essere ragionevole e della sa-
» pienza del suo fattore. »

Itaque felicitatis amor, hominem excitat, invitat et ad operandum allicit, ipsiusque attingendæ sollicitudo centrum est et finis cogitationum et actionum.

Ne vero nomine moveamur *finem* dicimus id cujus gratia vel amore fit aliquid. Quando nimirum aliqua caussa intelligentiâ prædita operatur, alterius rei vel obiecti caussa operatur; ejus amore ad actionem allicitur, seu operationem propriam et operationis effectum ad aliquid aliud veluti scopum dirigit.

Finis autem vel proximus est vel remotus : proximus vel immediatus ille est ad quem proxime et immediate dirigitur opus ; sic ad cognitionem veritatis dirigitur inquisitio. Finis remotus aut ultimus ille est ad quem ultimo dirigitur opus, et cum fines alii proximi ad hunc ultimum dirigi possint ; ipse tamen ad finem alterum alterius dirigi non potest : sic ad felicitatem ultimo dirigitur veritatis inquisitio. Porro quod præter finem immediatum et proximum finis etiam ultimus admitti debeat, ex ipsa natura finis Aristoteles demonstrat. Si enim agendarum rerum, ut ait ipse *Ethicorum lib.* 1. *cap.* 1, finis aliquis est quem propter ipsum et propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus.... perspicuum est etiam summum bonum atque optimum futurum. Nimirum aliquid admitti oportet ad quod

cætera omnia dirigantur, ipsum vero non ordinetur neque referatur ad aliud, sed desiderium omne ita compleat atque perficiat, ut in illo voluntas hominis jucundissime quiescat. Experientiâ autem edocemur hominem independenter ab ipsius arbitrio ad propriam felicitatem dirigi, et hunc finem esse perfectissimum propter quem operatur. Homo nimirum dum aliquid agit præter naturalem operationis finem, seu præter id ad quod opus natura sua ordinatur, propriam vult felicitatem atque ipsius amore liberam et flexibilem animi vim in unam potius quam in alteram partem inclinat.

Hic autem felicitatis ultimus finis divinitus homini est præstitutus: si enim Deus rebus omnibus atque inanimatis quoque corporibus finem aliquem constituit, ad quem ingenito veluti pondere impelluntur, suspicari certe non poterit

quin homini nempe nobiliori manuum suarum operi finis aliquis tributus sit cujus gratia productus fuerit. Finis autem hic tanto cæteris creaturarum finibus præstantior esse debet, quanto homo ipse vel accuratissima Dei immago cæteris omnibus rerum generibus præstantior haberi debet. Cum autem res aliqua perfecta seu felix existimetur ubi finem ad quem natura duce dirigitur sit consecuta, certissimum esse debet dari ultimum et summum bonum ex cujus adeptione hominis perfectio et beatitudo oriatur. Quæritur itaque in quo veluti summo bono extremo vel ultimo hominis fine perfectio et felicitas sit constituta. Hæc celeberrima quæstio sequenti capite expendemus.

## CAPUT SECUNDUM

### VARIÆ EXPONUNTUR PHILOSOPHORUM OPINIONES

### *De felicitate hominis.*

Adempti insatiabili felicitatis desiderio excitati homines illud obiectum seu bonum accuratissime inquisiverunt quod beatam posset vitam efficere. Cum tamen nonnulli vel absurdam sibi continxerint humanæ naturæ notionem, vel hominem ipsum in hac miserrima vita felicem esse putaverint, dum ex altera parte nihil invenitur quo insatiabilis animi cupiditas expellatur; in varias adeo sententias abiere, ut mirari certe quis posset de re gravissima sapientissimos etiam viros quammaxime dissidere. Illorum singulas hic exponere non decet nec juvat, cum plures adeo

obscuræ sint ut de ipsis quidpiam certe definiri non possit, aut adeo impudentes et falsæ ut ex omnium animis exciderint, aut ad alias inferius memorandas facile educantur.

Itaque illustriores tantum philosophorum sententias exponemus; et cum tria bonorum genera distingui soleant, corporis nimirum, fortunæ atque animi; ad hæc ipsas felicitatis opiniones revocabimus.

» Atqui, ut a primis exordiamur, ab
» Aristippo Cyrenaici (Tull. de off.
» l. 3. c. 33.) atque Annicerii phi-
» losophi nominati omne bonum in vo-
» luptate posuerunt; virtutemque cen-
» suerunt ob eam rem esse laudandam
» quod efficiens esset voluptatis. » Hanc impurissimam Aristippi sententiam amplexus est Mahomedes in Alcorano, qui nullum anteactæ vitæ premium Musul-

manis pollicetur quam jucundissimas et incredibiles corporis voluptates. Frequentius autem voluptatis doctrina Epicureis tribuitur, qui proinde turpissimæ voluptatis accersores haberi vocarique solent.

Qui vero in fortunæ bonis, divitiis nempe, honoribus et fama beatam vitam collocaverint, pauci quidem ex philosophis, plurimi tamen ex variis hominum generibus memorantur. Plurimos enim insatiabilis auri cupiditas incendit, ac in divitiis veluti summo bono spem omnem omnemque collocant amorem. Alios quoque adeo excitat imperandi et dominandi voluptas, ut studia, consilia conatus omnes illo dirigantur ut longe lateque imperii fines extendant. Tandem aliqui non regni, non divitiarum, sed sola gloriæ cupiditate aliiciuntur ut illius comparandæ studio non modo divitias

et regnum, sed vitam ipsam contempserint, eamque in diuturno bellorum discrimine vel in arduis rebus obeundis libenter projecerint, ut immortalem gloriam apud posteros sibi compararent.

Tandem qui felicitatem in bono animi positam esse existimarunt sunt præcipue Stoici, qui beatitudinem in sola virtute sine sapientia animi ita constitutam esse volebant, ut si fortasse corporis et fortunæ bona deessent, quin etiam si innumeris ægritudinibus dolore ac morte premeretur sapiens in ipso quoque phalaridis tauro sapientem felicem ac beatum esse dicebant. Illustrior autem et nobilior est sententia Platonis quæ cæteras omnes longissime superat. Admirabilis iste Philosophus sinceram hominis felicitatem in hac mortali vita comparari non posse putavit; nec illam aliunde quam ab ipso Déo Summo nimirum et

immutabili Bono repeti posse. Quamvis enim beatitatem aliquam, dum vivimus, comparari posse crediderit, rerum scilicet contemplatione, aritmeticæ studio, Dei promissione, honestate morum atque virtute, solidam tamen perfectamque felicitatem in altero tantum futuræ vitæ statu perenni contemplatione et amore Dei positam esse clarissime definivit.

### *Animadversio in Aristippum et Epicureos.*

Aristippus et Epicurei in constitutione finis nil generosum atque magnificum senserunt; quin potius nulla absurdior et impurior effingi potest humana felicitas eà quæ in voluptate et corporis deliciis collocaverunt. Aut enim dari debet hominis animum nec incorporeum esse et immortalem, aut animum ipsum per

se ad nullum finem dirigi; aut certe nobilissimam hanc hominis partem ad viliorem infimamque partem nempe corpus turpissime declinare.

Quis autem affirmet hominis beatitatem communem esse cum brutis? Et certe voluptas illa quæ corporis solummodo est, eadem prorsus et perfectior a brutis comparatur, in quibus organa aliquando reperiuntur delicatiora et magis voluptatibus percipiendis accommodata: nec insatiabilem bruta experiuntur aviditatem, verecundiam, pœnitentiam, timorem et futuri mali prævisionem, quæ singula hominis voluptatem amaritudine aspergunt.

Insuper voluptates ipsæ sæpe non sine dedecore, incommodo, vitæ periculo corporis languore, mentis caligine degustantur: amaros sæpissime fructus animique dolores excitant, non semper adsunt,

caducæ sunt, celerrime languere et interire solent: tantum abest ut illæ irrequietam animi cupiditatem et omnem voluntatis amorem impleant. Igitur Aristippi, Epicuri et Mahometis sententia perdita est et impudentissima lacrymisque potius quam argumentis ex hominum cordibus extirpanda. (1)

Non multum immoramur in iis confutandis qui in divitiis, honoribus et gloria hominis finem ultimum collocarunt. Hæc enim bona extrinseca sunt, nihilque in animo pollent, quo melior ille et perfectior fiat: vel enim corporea sunt aut corporeis et sensibilibus rebus comparantur, ideoque incerta caduca suaque natura facile mutabilia. Incorruptibilem itaque et immortalem animi cupiditatem complere non possunt, nec facile habentur et conservantur; non ergo sinceram et communem humanæ naturæ

felicitatem constituunt, quæ ejusmodi esse debet ut ab omnibus hominibus adquiri, nec ab invitis unquam amitti possit. (2)

*Animadversio in Stoicos.*

Quid vero sentiendum sit de gravissima Stoicorum sententia, qui posthabita omnis corporis voluptate, in sapientia seu virtute perfectam hominis felicitatem posuerunt, facillime infertur ex natura hominis atque virtutis. Fieri non potest ut ab homine ea virtus adquiratur quæ nullis ærumnis, nullo dolore, nullis corporis incommodis perturbetur: ideoque vana est hæc sapientiæ species quæ ab hominibus comparari vel sperari quoque ab illis non possit. In errorem itaque absurdissimum lapsi sunt, ut cum asseverent etiam in Phalaridis tauro bea-

tum esse sapientem, cogantur fateri vitam beatam aliquando esse fugiendam. Exageratis enim malis corporis cedunt, atque in rerum molestiis gravissimis abscedendum ex hac vita esse decernunt. » Nam
» si bonum liberi, misera orbitas; bo-
» num patria, miserum exilium; bonum
» valetudo, miserum morbus; bonum
» integritas corporis, misera debilitas;
» bonum incolumis acies, misera cæ-
» citas. Quæ si potest singula sapiens
» consolando levare, universa quomodo
» sustinebit? Sit enim idem cæcus, de-
» bilis egens, morbo gravissimo affectus,
» exul orbus, torqueatur eculeo, quem
» hunc appellas Zeno? Beatum, inquit.
» Etiam beatissimum!...... Sed si ad
» populum me vocas, eum qui ita sit
» affectus beatum nunquam probabis:
» si ad prudentes, alterum fortasse dubi-
» tabunt: sitne tantum in virtute, ut ea

» præditi vel in Phalaridis tauro beati » sint; alterum non dubitabunt quin et » Stoici convenientia sibi dicant, et vos » repugnantia: » (Cic. de fin. lib. 5. c. XXIII.) nam illud vehementer repugnat eumdem et beatum esse et multis malis oppressum.

Itaque ideo summopere decipiebantur Stoici quod media pro fine assumerent. Virtus et sapientia quæ ab incudine obtinetur, juxta leges operandi, medium est felicitatis obtinendæ, non autem ipsa felicitas. Licet enim plurimum jucunditatis et suavitatis in ejus exercitatione inesse fateamur, virtutem autem se ipsam contentam et per eam vitam beatam reddi posse negamus. Et quidem primo: illud manifestum est, vel propter varios fortunæ casus vel propter levitatem et improbitatem hominum sæpissime contingere ut neque ea quæ etiam in hac

vita deberentur virtuti præmia reddantur, neque qui virtuose agit debitum honorem apud alios consequatur; quin potius contra improbos sæpius obmitti debet, et plura amarissima deglutire ab illis qui vitiosam vitam et profitentur et ducunt. Ita justitiæ, fidelitatis, fortitudinis cæteraque virtutum exercitatio non solum gravem laborem plerumque affert, verum etiam nullum aliquando præmium consequitur, et apud aliquos contemptui habentur. Secundo: quamvis maxima utilitas in ipsum corpus redundet ab exercitatione virtutis verumtamen aut graves dolores per eam tolli vel sedari, aut afflicta valetudo omnino curari non potest. Paupertatem vero, intemperiem aeris, aliqua physica mala, quibus vita præsens obnoxia est, efficit quidem virtus ut æquo animo feramus; eorum tamen incommoda admovere mi-

nime possunt. Tertio: multa mala sunt quæ ab improbitate hominum tum animo tum corpori imminent, quæque virtutis exercitatione præcavere non possumus. Ex quibus omnibus consequitur plures cum virtute ex humanæ vitæ cognitione ærumnas conjunctas esse, quæ ab ea auferri minime possunt; ádeoque virtutem se ipsam contentam non esse, neque per eam perfecte beatam vitam perfici posse.

## CAPUT TERTIUM

### DE VERA HOMINIS FELICITATE.

Haud satis mirari possumus eximium Platonis ingenium, qui cum veram hominis felicitatem ultimumque finem inquireret, illum non aliquo objecto vocavit quod in hac vita comparari possit; sed Deum veluti summum bonum, ul-

timum finem, et sinceram perfectamque beatitudinem esse putavit. Et sane: sive felicitatem dicamus hominis statum in quo omnes illius expleantur facultates, sive perfectam rationis et voluntatis quietem, sive constantem immutabilemque statum jucunditatis et fruitionis, hæc omnia homines a Deo veluti fonte sive principio profecti nonnisi in Deo ipso reperire atque obtinere possunt.

Si enim 1.° ultimus hominis finis ille esse debet ad quem ultimo vel a natura vel a Deo dirigatur; ille nimirum cujus amore Deus hominem condidit, ejusmodi certe finis aliud esse non poterit nisi Deus ipse, qui non alterius amore vel gratia, sed propter se ipsum solum operari potest, ne ad aliquis vilius et ignobilius se operando dirigatur.

2.° Deinde finis est ille qui inquiri appeti et amari potest; ideoque finis

ultimus est ille qui ultimo amari potest, amorem illum extinguere sive complere, omnes satiare facultates humanas, perfectam rationis et voluptatis quietem comparare; qui denique perennem perfectum immutabilemque jucunditatis statum constituere possit. Sed Deus unus, qui infinita bonitas est, replet in bonis desiderium nostrum, et insatiabilem humanæ voluntatis ardorem perfecte extinguit: ergo ille unus finis ultimus erit, summum Bonum et perfecta felicitas.

3.° Nec aliud certe finis ultimus et vera hominis felicitas esse poterat quam prima Caussa primumque Principium, a quo ille veluti fonte profluxit. Si enim res tanto nobilior et perfectior est, quanto nobilius atque perfectius participat esse caussæ a qua producitur, tanto perfectior erit homo quo magis participat esse Dei, quanto nimirum perfectius illi conjun-

gitur atque illo fruitur; ideoque felicitas hominis non in alio sistit nisi in unione qua Deo arctissime adhæret, qua intellectus certissima et clarissima veri cognitione illustratur, et voluntas boni purissimo amore perficitur. » Ipse igitur » quæratur (Aug. de civ. lib. 8. cap. 4) » ubi secura sunt omnia, ipse cernatur » ubi certa sunt omnia, ipse diligatur » ubi recta sunt omnia. »

Nulla felicitas melior, nulla nobilior inquiri potest, quæ felicitates omnes ac bona quæ a philosophis omnibus veluti finis haberi solent in se mirifice complectitur. Si enim voluptas inquiri debet, quæ major jucundior stabiliorque voluptas quam quæ ex sincera Dei cognitione et amore proficiscatur, quam nullus mortis metus imminuat, nulla aviditas ac inexplicabilis bonorum cupiditas, nullum doloris malorumque tædium infi-

ciat? Si virtus, sapientia et honestas cum Stoicis inquiratur, quid magis honestum, decorum, laudabile haberi potest, quam Deum ipsum cognoscere et amare, quam sincero virtutum splendore ipsum quantum humana patitur infirmitas imitari? Si denique secundum hominis naturam, natura nimirum undique perfecta nihilque requirente, vivere cupimus, ut Aristoteles existimavit, quì melius id fieri poterit quam si intellectu et voluntate, nobilioribus nempe humanæ naturæ viribus in summi Veri cognitione, summique Boni amore versemur, atque ad finem natura ipsa constitutum constantissime dirigamur? Cum itaque singuli felicitatis characteres in Dei cognitione et amore reperiantur, dici profecto debet in hac cognitione et amore veram hominis felicitatem consistere.

### Consectarium I.

*Completa felicitas in hac vita haberi non potest.*

Merito inquiritur hìc quibus viribus Deus comparetur; utrum nempe in hoc vitæ statu felices esse possimus, an tota potius felicitas alteri meliorique vitæ reservetur? Et observandum est nos hìc de illa tantum beatitudine disserere quæ solis naturæ viribus comparatur, ideoque *naturalis* dicitur: supponimus etiam animos humanos immortales, ideoque corpori superstites esse. His præsuppositis perfectam hominis felicitatem seu Dei possessionem in hac miserrima vitæ conditione adquiri non posse clarissime demonstratur ex his quæ supra diximus.

Et 1.° quidem felicitas perfecta in perfecta Dei cognitione consistit, atque

amore quo nos ipsi Deo veluti summo Vero summoque Bono conjungimur: levis autem et imperfecta est cognitio et amor ille quo Deum, viventes adhuc complectimur: cognitio quidem quòd mens corporeis vinculis alligata Divini vultus imaginem nitide contemplari non possit, sed in speculo tantum et in enigmate: amor autem quòd voluntas et affectus sensuum illecebris, eorumque concupiscentia abstractus ad objecta corporea abripiatur, ideoque a summi Boni amore deflectat.

2.° Perfecta deinde felicitas invariabilis esse debet, nec homo vere beatus est nisi Deo inseparabiliter adhæreat; sed sive intellectum consideremus sive voluntatem in qua libertas reperitur, flexibilis nempe vis qua ad apposita dirigi potest, suspicari semper et in metu esse debemus ne vel mentis ignorantia vel

subdola voluptatis specie decepti a Deo separemur; qui timor amittendæ felicitatis prohibet quominus ipsa perfecta sit. Quin tanta est plerumque omnium anxietas ut animus ipse innumeris angustiis et ægritudinibus undique pressus exire de corpore trepidet, ac invitus ab illo nec sine dolore maximo sejungatur: anteactæ enim vitæ suspicio, ideoque beatitatis amittendæ timor illum ab exitu remoratur. Itaque perfecta felicitas hominis sive perfecta summi Boni possessio alteri meliorique vitæ reservatur, ubi nimirum animus a corpore veluti carcere solutus ad Deum redeat qui dedit illum.

### Consectarium II.

*Aliqua tamen felicitas in hac vita comparari potest.*

Quandoquidem vero felicitas primum præcipuumque philosophiæ moralis caput haberi debet ex quo cætera derivant, juverit demonstrare aliquam felicitatem etiam in hac vita haberi posse, quamvis humanæ naturæ circumstantiis inspectis haud possit perfecta obtineri. Igitur quidquid fruitionis et jucunditatis comparatur ab hominibus, id quod aliquatenus illius facultates explet, quod rationis et voluntatis ingerit quietem, id totum partim ex cognitione partim ex amore Dei hauritur. Cognitione quidem quod Deum ipsum ejusque attributa cognoscere et præclare de ipso sentire possumus; amore vero seu voluntate

quod illum ut optimum et beneficentissimum Patrem diligimus; ei ut legislatori subiicimur, ejusque leges amplectimur. Igitur aliqua felicitas, immo omnis felicitas quæ cum hac mortali vita componitur obtineri poterit, si honestate morum et virtutum studio ita vitam nostram dirigamus, ut soluto jam corpore, Deo perfecte conjungi perfectamque beatitatem assequi mereamur.

Quod ut intelligatur constanter asserimus animum nostrum Deo conjungi in hac vita primo si ex pulcherrimo rerum ordine ipsum existere, primam esse rerum omnium caussam et moderatorem sapientissimum agnoscamus; si summam in illo perfectionem potentiam bonitatem justitiam et cætera attributa revereamur: si demum ipsi veluti supremo legislatori obedientiam profiteamur, ac omnibus Religionis actibus adhæreamus. Secundo

cum animus et sibi omnia persuaserit, et ejusmodi cognitione Deo veluti primæ Veritati adhæserit, animus ipse Deo voluntate conjungitur; ingenuo nimirum et sincero amore, quo cum tanquam auctorem provisorem et amantissimum Patrem veneretur ac impense diligat, illi in omnibus obsequi studeat, ipsum imitari, vero religionis cultu colere, ejus leges singulas observare, ipsique virtutis et honestatis amore placere, ideoque a vitiis omnibus abhorrere.

Quod si hæc persuasio cordibus et mentibus nostris altissime insederit, tunc admirabili meliorique modo, prout in hac vita sperari vel optari fortasse possit, humanus animus Deo conjungitur, ideoque aliqua beatitudine donatur qua nulla melior, nulla nobilior concipitur.

Hæc vero de naturali felicitate dicta esse intelligantur, ea nimirum quæ solis

naturæ viribus partim in hac mortali vita, partim et uberius in immortali comparari potest. Cum autem primi parentis crimine natura humana ita vitiata sit ut solis naturæ viribus leges omnes servare, scelera vitare, adeoque finem constitutum assequi nequeat, sed aliquod etiam purius nobiliusque munus hominibus concessum requiratur, quo voluntas hominis ad malum pronior a vitio retrahatur, felicitas ipsa veluti supernaturalis, gratiæ nimirum viribus quæ totam naturæ conditionem superant acquisita spectari potest.

Ast de hac supernaturali beatitudine et de gratiæ ad illam comparandam necessitate Theologorum est disserere: observasse tantum juverit naturalem hominis beatitatem accurate intelligi non posse, nisi ad supernaturalia lumina accedamus. Quapropter caute nimis hac in re solo rationis lumine progrediendum.

## CAPUT QUARTUM

### DE NECESSITATE LEGIS.

Inspecta hominis natura, hisque quibus præditus est facultatibus expensis, flexibili quoque considerata animi sui vi qua ad unam vel ad alteram partem inclinat, illud necessario conclusimus hominem propter felicitatem suam operari, ad ipsam felicitatem naturali et ingenito veluti pondere indesinenter ferri. Atqui tamen editus est in vitam homo (Tullius) corpore nudo, fragili et infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libidines: constat igitur hominem sibi relictum, nimirum qui nulla lege, nulla actionum suarum norma ducitur, bonum illud infinitum a quo sola vera felicitas oritur neque perfecte in hac vita posse attingere nec possidere.

Impedimento quodam intrinseco, quod malum *metaphysicum* etiam dixeris, detinetur homo: mens nimirum illius nimis arctis stricta limitibus, neque res omnes neque rerum omnium rationes agnoscit. Ideoque quas habet cum perfectione et quas habuit cum Deo, in quo uno vera felicitas est, relationes sæpissime ignoramus.

Homo itaque sibi relictus momentis sæpe numero ad agendum excitatur quæ ad noxas voluptates referuntur, quæ cum sint veræ amaritudines stare nequeunt cum ipsius felicitate. Etsi autem hæc non ita intelligenda sint quasi actionum momenta necessario mentem determinent, certum tamen est nullum ab illa vel agendi vel abstinendi decretum fieri quin voluptatis spe vel doloris metu extimuletur.

Igitur cum momenta, tum actionis electio quandoque versantur in his quæ

hominis bono vere nocent ejusque felicitati opponuntur.

Hic addendum ipsius humanæ mentis ignorantia fieri etiam sæpissime ut homo qui verum bonum naturæ nempe rationali accomodatum agnovit, circa media illius consequendi decipiatur, ita ut vel dissentaneum eligat, vel inter plura illud eligat quod ineptius ad finem sit. Actu quidem homo deceptus malum quod ex electione sequitur ignorat, nec molestiam patitur; in consectariis tamen maximum experitur damnum, quia per actionem a propria natura divergentem a beatitudine removetur.

Sed licet ad liberalitatem concedamus hominem adeo purissimo intellectu præditum esse, ut veris tantum aliiciatur bonis, nec fallaces unquam cupiat et eligat voluptates: numquid ipse propriæ naturæ et imbecillitati relictus, adeo po-

tens est ut id possit exequi aut habere quod ardenter cupit, ut seipsum perficiat, ut adversa omnia removeat? Numquid rerum omnium a quibus pendet ut sano sit corpore et mente perfectum habet dominium? Quæ cum vera non sint, consequens est hominem sibi relictum necessario miserum esse, et omnimodis torqueri affectibus qui ex natura fluunt imperfecta. Igitur in executione actionis sæpe arctatur hominis impotentia et limitatio, quod alterum est felicitatis impedimentum. Eo vel magis quod omnia quæ sibi comparare potest naturali potentia terrestri ab ora, nec intellectum nec voluntatem explere possunt nec plenissimam constituere corporis et mentis tranquillitatem.

Ratione interim duce atque ingenito naturæ pondere in Deum bonitatis totius principium et fontem inclinat, et eam

ex illo felicitatem exoptat quæ bonorum omnium cumulus sit, quorum securam æternamque habeat possessionem.

Atqui tamen Deus humanæ naturæ artifex eorum quoque auctor est quæ nobis naturaliter insunt; ipse ergo qui hominem fecit felicitatis appetentem constituit et ad felicitatem direxit.

Ast hominem beatitatis cupidum, multa circumfundunt ipsius impedimenta, ut nuper demonstravimus: num Tantalo similis est quem semper torquet fallax liquor et fugacia poma? Nempe fecitne Deus homines felicitatis appetentes tantum, non etiam capaces? Summi ponderis est hæc quæstio in naturali jurisprudentia, et digna propterea, ut quamdiligenter versemus.

Deus cujus natura essentialiter est independens, sibi est ad perfectam beatitudinem sufficiens; nemini itaque invi-

dere, irasci, aut malefacere potest cum hujusmodi affectiones imbecillitatem et indigentiam naturæ demonstrent. Deus ergo, cujus natura est optima, ex bonitate agit, omnia quæ fecit singulari amore prosequitur, adeoque hominum miseriam velle non potest quin ipsi eam libere promereantur.

Vellet autem ipsorum miseriam si cum perenni beatitatis desiderio absolutam illius obtinendæ impotentiam conjunxisset. Quia vero a natura hominis haud potest felicitatis amor sejungi, in maximam æternamque illius converteremur pœnam, ac ut Virgiliana utar similitudine: tanquam *rostro immanis vultur obunco immortale jecur tonderet, fœcundaque pœnis viscera, habitaretque sub alto pectore, nec fibris requies daretur ulla renatis!* (3)

Quis vero cum idea Dei summi optimi, creaturarum Patris amantissimi hanc immanem conciliare posset tyrannidem? Certum itaque atque evidens est Deum homines beatitudinis capaces effecisse. Hoc idem mirifice comprobatur iis omnibus quibus ostenditur animam a corpore, cujus ministerio ad agendum utebatur, sejunctam adhuc vivere, quod est cogitandi agendi et fruendi facultates conservare. Si enim de moriendi necessitate statuque nostro post mortem cogitamus, desiderio trahimur ut non omnimode moriamur, atque ut pars optima nostri supersit.

Constituta autem animi immortalitate facile sibi quisque persuadet animam non solum semper eamdem, sed et capacem fore voluptatum novarum novorumque dolorum. Hinc sequitur vitam animæ corpori suo superstitis continûationem esse

vitæ præsentis, æternaque excitari beatitatis cupidine.

Ergo cum Deus hominem felicitatis appetentem fecerit, voluit ut ejus adeptio naturæ humanæ congrueret; nam constituere ut eo quod necessario appetit, necessario etiam careat, summam ejus sapientiam et bonitatem inficeret. Ergo homo beatitudinis est capax.

His elucubratis planum est homini non posse Deum comunicare neque infinitam sapientiam qua omnia sciat nulliusque ignorantiæ et erroris sit expers, neque infinitam potentiam qua quæ cupit omnia, ipsumque summum bonum sibi comparet, possideatque. Dogma scilicet eorum est qui de Deo disserunt illum efficere non posse creaturam, quæ cum numero tum intensitate affectionum sibi sit æqualis; natura enim divina necessario unica est et necessario incommu-

nicabilis. Reliquum igitur est quod Deus hominem moderetur et regat per communicationem quamdam supremæ rationis, per quamdam regulam seu normam universaliter promulgatam qua in virtutis et beatitudinis semita incedere possit, et per quædam adjumenta, ut quod verum et bonum intelligit, operâ conficiat. Per normam actionum medetur Deus ignorantiæ nostræ, impotentiæ autem humanæ succurrit opportuna quam præbet ope in actionibus normæ consectaneis. Id ipsum mirifice confirmatur ex consideratione divinæ Providentiæ. In hoc mundo committuntur cœco casui; omnia in pondere et mensura constituta sunt, omnia ad finem diriguntur, eumque per determinatas leges certissime attingunt. Solusne homo Universitatis ordinem prætergreditur, et lege ad finem dirigente caret? Ergo Deus hominem

cæteris præstare creaturis decrevit, ut illum postea sibi ipsi relinqueret in maximo felicitatis negotio? Hujusque generis mala hominem undique perturbant, sensus illudunt, immaginatio decidit, noxii affectus commovent, avaritia, libido frangunt: igitur si actionum norma careret, merito navi comparari posset quam novi in mare semper referunt fluctus, quam una simul eurusque notusque undique ruunt nec portum occupare sinunt. Homo itaque sine lege qua proprias temperet actiones miser esset præ omnibus animantibus.

Hanc etiam exigunt et summa quæ viget in hominibus ingeniorum factuumque diversitas quæ nisi ad centrum quoddam commune dirigeretur, violentis perpetuisque tempestatibus humanam vitam agitaret, et innata hominis ad vitam cum aliis degendam inclinatio.

Si enim hominem citra ullam regulam simul viveret in tanta capitum varietate, in tanta propensionum divergentia, magna vigeret confusio et infelix perturbatio. Sive igitur contemplemus humanæ naturæ ignorantiam et imbecillitatem, sive illius indestructibilem felicitatis appetitum, sive nobis observemur Dei Optimi Maximi sapientia bonitas et providentia, evidentissime demonstratur necessitas legis alicujus seu normæ humanas dirigentis actiones.

## ADNOTATIONES

(1) Arist. sept. ethic. lib. cap. 3. » Sententiam » nostræ contrariam esse stolidissimorum et manci» piorum, pecudum vitam ducentium » quod et repetit ult. ethic. l. c. 6.

Boetius de philosop. cons. lib. 3. pros. 7. » Quid » autem de corporis voluptatibus loquar ? etc. etc. »

S. Thomas 1. 2. quæst. 2. art. 6.

Boetius l. cit. metro 7.

» Habet hoc voluptas omnis :
Stimulis agit furentes ;
. . . . . . . . . . . . . .
. . . . et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu. »

Et prosa oct. etc. » estimatur » lib. 3. pros. 8.

(2) Boetius, Arist., Ecclesiast. S. Thom. op. cit.

(3) Virg. VI Æneid. pag. 255 edit. Lips. 1834.

# LIBER SECUNDUS

## DE LEGE NATURALI

Etsi plurimæ et dixtinctæ sint leges seu normæ illæ quibus humana voluntas vel ad finem dirigitur vel coerceri solet, tamen omnes ex lege naturali, veluti ex uberrimo fonte dimanant.

Hinc illa perpetua universalis, æterna vocari merito solet, quæ cum semper eadem ac invariabilis sit, omnes etiam leges quas subinde fieri contingat in se complectitur.

Communius tamen atque frequentius lex naturæ aut jus naturale vocatur quod hominis naturam sequitur, sive ab ipso naturæ lumine docetur. Demonstrata itaque normæ cujusdam humanarum actionum necessitate, nitide et quam fieri potest accuratissime demonstrari debet:

1.° Unde existat atque oriatur lex naturæ:

2.° Quænam sint illius proprietates et characteres:

3.° Quale denique sit principium illud seu fundamentum legis naturalis ex quo cætera fluunt quæ jubentur aut prohibentur.

Primum autem quædam notiones explicandæ sunt, ne vocum ambiguitate detineamur.

Juris ætimologiam duxit Compianus a *justitia;* Grotius a vocabulo *Jovis,*

corrupto primum in *jouris*, deinde in *juris*. Rectius a *jubendo* ducitur ut placuit Festo Grammatico.

Multipliciter sumitur vocabulum *jus*. Primum pro legum scientia, quo in sensu dicitur *Jurisprudentia*. Secundo pro adjuncto actionis, quo in casu *justa* vel *injusta* dicitur prout legi respondet aut opponitur. Tertio pro adjuncto personæ, et tunc exprimit facultatem quidpiam faciendi vel habendi. Quarto demum sumitur pro lege, et tunc definitur: *norma sapiens et recta intellectus et voluntatis finitæ ab eo promulgata qui dominium habet super eos quibus datur*. Huic definitioni subscribit Grotius *lib.* 1. *cap.* 4. §. 9 cum *jus* sumit ad significandam legem. » Est juris significatio, ait, quæ idem » valet quod lex quoties vox legis largis» sime sumitur ut sit regula actuum mora» lium obligans ad id quod rectum est. »

Itaque huic ultimæ nunc adhærentes juris definitioni, acceptiori nomine juris naturalis intelligimus legem quæ nobis innotescat, vel possit post aliquam meditationem innotescere solo consultu naturali lumine.

## CAPUT PRIMUM

### DE EXISTENTIA LEGIS NATURALIS.

Nihil esse natura sua justum et injustum, honestum aut turpe, bonum vel malum, et nullam hinc dari legem naturalem, sed omnia consuetudine et humanis legibus dimetiri, plures inter veteres et aliqui inter recentes philosophos opinati sunt. Accensentur in primis Carneades, Arcesilaus, Aristippus, Epicurus, Pyrrho et alii, ut videre est apud Platonem *lib. 2. de Rep. et lib. 10. de leg.*

Hæc pessima opinandi ratio, ut observat Tullius *lib.* 1. *de nat. Deor.*, ex mundano illorum sistemate oriebatur: » Sunt
» enim philosophi et fuerunt, ait ipse,
» qui omnino nullam habere censerent
» humanarum rerum procurationem
» Deos. Quorum si vera sententia est;
» quæ potest esse pietas, quæ sanctitas,
» quæ religio? Hæc enim omnia pure
» atque caste tribuenda Deorum numini
» ita sunt, si animadvertuntur ab his,
» et si est aliquid a Diis Immortalibus
» hominum generi tributum. Sin autem
» Dii neque possunt nos juvare, neque
» volunt, nec omnino curant, nec quid
» agamus animadvertunt, nec est quod
» ab his ad hominum vitam permanare
» possit: quid est quod ullos Diis im-
» mortalibus cultus, honores, præces
» adhibeamus? In specie autem fictæ
» simulationis, sicut reliquæ virtutes ita

» pietas inesse non potest: cum qua
» simul et sanctitatem et religionem
» tolli necesse est: quibus sublatis per-
» turbatio vitæ consequitur et magna
» confusio. Atque haud scio an pietate
» adversus Deos sublata, fides etiam et
» societas generis humani, et una excel-
» lentissima virtus, justitia, tollatur. »

Horrendam hanc doctrinam restituere conati sunt aliqui inter recentes, et præcipue Spinoza, Hobetius, Montainius, Russojus, Elvetius, Thomasius et plures alii qui Aristippi vexillum, quamvis non una eademque ratione sequuntur. In eamdem sententiam inclinasse videtur Samuelem Pufendorfium luteranum, cum doceat justum et honestum non essentialiter et intrinsece ab injusto et turpi differre, sed totum discrimen ab ab arbitraria superioris Dei voluntate repetendum.

Cum itaque de maxima re agatur quæ caput et fundamentum simul est eorum quibus omnis philosophia morum continetur, antequam legis naturalis existentiam vindicemus, animadvertendi sunt errores istiusmodi philosophi, ideoque statuimus:

1.°

*Dari in Deo legem æternam.*

Lex æterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Seu clarius: Lex æterna est decretum liberum voluntatis Dei statuentis ordinem servandum ab omnibus partibus Universi ad commune bonum, specialiter autem a creaturis rationabilibus quoad liberas eorum operationes.

Profecto legem hanc æternam ethnici philosophi agnovere, teste Tullio: » hanc

» video, ait ipse, sapientissimorum esse » sententiam, nec scitum esse aliquod » populorum, sed æternum quiddam » quod universum mundum regit, im- » perandi, prohibendique sapientia. » Nemo insuper inficiatur dari in Deo providentiam : hæc autem necessario supponit æternam quandam rationem practicam, et decretum totius dispositionis et gubernationis totius universi quæ veram legis rationem habet. Deus igitur mundum regit ipsique sapientissime providet.

Quod cum ita sit, quis inficiabitur illum in quo potentia justitia sanctitas et sapientia immutabili consensu oscillantur, iisdem justitiæ et sanctitatis regulis creaturas intelligentes gubernare, et ad finem dirigere? Planum igitur manifestumque est dari in Deo legem æternam ex qua quæcumque alia de-

scendat lex, et vim obligandi participet. Idcirco Tullius hæc habet: *de leg.* 1. 6. » Constituendi vero juris ab illa summa » lege capiamus exordium, quæ sæculis » omnibus ante nata est, quam scripta » lex ulla, aut quam omnino civitas » constituta. » Et alio loco: *lex nihil aliud est nisi recta et a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta prohibensque contraria.* Ibid.

Cum itaque homines Deo creatori et provisori necessario subiiciantur, planum est inferre actiones humanas ordinem et relationem habere ad legem æternam, ideoque intrinsecam actionum bonitatem in hoc ordine vel relatione consistere; malitiam vero aut pravitatem in privatione ejusdem ordinis et relationis, quam tum ex voluntate Dei, tum etiam ex natura propria habere debet. Hinc merito statuimus:

## 2.°

*Bonum et Malum morale intrinsece differre: quædam nimirum natura sua bona esse et honesta, quædam e contra mala et turpia.*

Cum enim Deus humanarum actionum norma sit, quidquid secundum normam agitur necessario bonum et honestum est; et vicissim. necessario malum et turpe est quidquid a norma eadem recedit vel opponitur. Hæc methaphysice et absolute sunt certa, adeo ut oppositum sit omnino impossibile.

Discrimen autem hoc inter bonum et malum est immutabile: » Il corpo » (Gauchat, t. 10. l. 100.) non può » divenire spirito nè lo spirito un » corpo: confondere nature essenzial- » mente diverse sarebbe un asserire il » sì ed il no nello stesso tempo. Per

» una ragione altrettanto stretta il male
» non può divenire bene nè il bene
» un male. Il bene è una conformità
» all' ordine, il male un' opposizione;
» e quindi sono contraddittorii per na-
» tura, e non si possono confondere più
» di quello si possa asserire che colui
» che viola la legge non la viola, o
» colui che l' osserva non l' osserva. Non
» si può separare l' intimo biasimo dalla
» trasgressione dell' ordine, e la saviezza
» dall' osservanza più di quello si possa
» dire che la volontà di Dio è ingiusta
» e la sua sapienza insensata. Così
» quanto le idee esterne stabiliscono la
» differenza essenziale delle creature,
» altrettanto stabiliscono la differenza
» essenziale dei loro atti. »

A. *Ex quo determinata sit hominis natura.*

Illud insuper obversatur quod hominis natura sit determinata: » quorumque » autem est natura determinata (S. Tho- » mas lib. 3. contra gentes cap. 129. » n. 3.) oportet esse operationes deter- » minatas quæ illi naturæ conveniunt: » propria enim operatio naturam ipsius » sequitur. Sunt igitur quædam opera- » tiones secundum se, seu essentialiter » homini convenientes. » Nemo enim non videt apertissimam haberi contradictionem inter has propositiones: *Homo natura rationali est præditus, animum habet spiritualem et immortalem, atque ad certum finem dirigitur.*

*Quicumque hominis actus sive conveniant cum natura, sive discrepent a natura eadem et fine sunt prorsus indifferentes.*

Igitur quæ operationes hominis naturæ et fini accomodantur, necessario bonæ sunt; malæ vero et turpes quæ a natura et fine divertunt.

B. *Ex quo determinatus sit hominis finis.*

Qua ratione determinata est eadem hominis natura, determinatum est suæ felicitatis objectum, ut lib. superiori demonstravimus. Illæ igitur operationes quæ ad felicitatem attinent, necessario et essentialiter rectæ sunt; malæ e contra quæ ab illa removuntur. Aut igitur homo ad felicitatem natus non est, aut quædam ponenda est mediorum actionumque series quà ipsa attingitur. Hujusmodi vero media bona et honesta sunt, quemadmodum bonum et honestum est felicitatis objectum. Oppositum affirmandum de iis actionibus quæ felicitatem impediunt:

itaque in differentia actionum cum hominis felicitate stare nequit.

C. *Ex hominum relationibus.*

Hoc autem mirifice confirmatur ex necessariis hominis relationibus. Homo considerari potest ut a Deo productus, ut rationali natura, cognitione nimirum et flexibili voluntatis arbitrio præditus, atque in aliorum hominum societate constitutus; clarissime igitur apparet quod natura ipsa quilibet homo dirigitur ad Deum a quo recepit esse, ad se ipsum quem diligere et conservare tenetur, ad cæteros homines quibuscum vivere subinde debet.

Ideoque quidquid hominis conditioni seu naturæ convenire potest, quidquid ex ordine oritur quem quilibet homo ad Deum, ad se ipsum, ad alios homines habere concipitur necessario bonum est

et honestum, nec aliunde malum evadere potest quam si rerum ordo idest lex æterna inmutetur.

D. *Ex consensu gentium.*

Hæc autem gentes omnes agnovere apud quas nulla excepta lex fuit; lex est vitium a virtute discriminans. Hanc vero persuasionem quam nec cupiditas, nec licentioris vitæ amor, nec exempla ipsa hominum deorumque abolere potuerunt, quis quæso indixit nisi ipsa natura? » Lex hæc, ait Tullius *pro* » *Milone*, non scripta sed nata est, » quam non didicimus, accepimus, le- » gimus; verum ex natura ipsa hausi- » mus, expressimus. » Argumentum hoc tanta perfunditur luce, ut philosophus Genevensis illud nobiliori stylo exornare curaverit *in Æmil. lib.* 3. » Gettate gli occhi sopra tutte le na-

» zioni del mondo, scorrete tutte le
» storie fra tanti culti inumani e biz-
» zarri, fra questa prodigiosa diversità
» di costumi e di caratteri, voi troverete
» dapertutto le medesime idee di giu-
» stizia e di onestà, le medesime no-
» zioni del bene e del male. L'antico
» paganesimo formò dei numi abbomi-
» nevoli che si sarebbero puniti sopra
» la terra come scellerati, ed altra im-
» magine non offrivano di suprema
» felicità, che delitti da commettere e
» passioni da contentare. Ma il vizio
» armato di una sacra autorità discen-
» deva invano dal soggiorno celeste,
» l' istinto morale lo discacciava dal
» cuore umano. Celebrando le disso-
» lutezze di Giove si ammirava la con-
» tinenza di Senocrate. La santa voce
» della natura più forte di quella dei
» Numi si faceva rispettare sopra la

» terra..... Vi è dunque nel fondo del-
» l'anima un principio innato di giu-
» stizia e di virtù col quale malgrado
» le nostre massime noi giudichiamo
» le nostre azioni e quelle degli altri
» come buone o malvagie. »

E. *Ex judicio interno cujusque hominis.*

Ast nationum mores sententiasque revocare, aut metaphysica evolvere argumenta non indigemus. Nosmetipsos consulamus. Quidam est vitæ genus quod necessario probamus; quædam sunt rectitudinis atque honestatis principia de quorum veritate haud possumus suspicare: flagitiosam vero vitam, inhonestam et pravam agendi rationem summopere detestamus.

Et quemadmodum recte institutam vitam grata et jucunda voluptas conse-

quitur; ita etiam metus, terrores, conscientiæ stimuli, molestæ sollicitudines crimina comitantur. Improbi quidem aliquando ita flagitiis assuescunt ut ad conscientiæ judicium non attendant: vere hi rationalem naturam exuisse, et alteram induisse videntur, nec semper sine sollicitudine omni sunt, nec semper conscientiæ vocibus obsurdescunt si ad propriæ vitæ examen convertuntur.

Quis vero, inquiram, interno actionum nostrarum judicio tantum auctoritatis tribuit, etiam cum actionum nostrarum nullum testimonium adest, etiam cum nullum pertimescimus supplicium? » Questo santuario del nostro essere » (Gauchat, ubi supra) è per ogni altro » una notte impenetrabile: noi non » siamo interessati a combattere contro » noi stessi, e se non vi fosse altra » legge fuori delle nostre inclinazioni,

» la nostra coscienza, il nostro fondo
» intimo sarebbe sempre di accordo
» con le nostre opere. Perchè dunque
» v' è questa contraddizione? La ra-
» gione ne è palpabile. Un' azione mal-
» vagia ha della convenienza con le
» nostre inclinazioni coi nostri interessi;
» ma è opposta a quella convenienza
» eterna che deve avere il cuore colla
» volontà di Dio. Quest' impronto di
» saviezza e d' ordine è, nostro mal-
» grado, scolpito nella nostra anima:
» donde deriva la difformità di queste
» opere delittuose per motivo della loro
» opposizione alle sì fatte impressioni
» e i rimorsi che il cuore stesso non
» può soffocare, perchè non può nè
» cancellare l' idea dell' ordine, nè im-
» pedire i vivi e segreti rimproveri che
» nascono dalla sua alterazione. »

## Conclusio.

Sive igitur Deum creatorem et provisorem contemplemus, sive determinatam hominis naturam, sive finem, sive ejus relationes, seu tandem ad internum singulorum omnium judicem, tum etiam ad commune populorum omnium suffragium convertamur; intrinsecum virtutis et vitii, honesti et inhonesti discrimen ita animo obversatur, ut illud inficiari maximam sit contradictionem admittere.

## 3.°

### *Datur lex naturalis.*

Constituta legis æternæ existentia, atque intrinseco honesti et inhonesti discrimine, omnia quoque constituta sunt quæ juris naturalis esse dicuntur: id tamen directis demonstrandum est argumentis.

A. *Ex principiis supra constitutis.*

Et primo quidem homo libera præditus est facultate agendi vel non agendi; cognitionem callet boni et mali, honesti et inhonesti; secundum naturam suam operari debet; ad se ipsum, ad cæteros homines, ad Deum necessario referri debet: igitur quædam agere et ab aliquibus abstinere debet. Ergo legem quamdam habet naturalem.

B. *Ex praxi et sensu hominum.*

Et revera quædam sunt propositiones practicæ, quædam sunt morum principia quæ sine ullis hominum pactis, omnium populorum suffragio comprobantur; etiamsi universali earumdem veritatum persuasioni cupiditates hominum, et licentioris vitæ desiderium observentur; tales sunt: *Deus est diligendus:*

*Suum cuique tribuendum: alteri non faciendum quod nobis fieri nolumus* et similia. » Quæ natio, ait Tullius *lib.* 1.
» *de leg.*, non comitatem, non benigni-
» tatem, non gratum animum et bene-
» ficii memorem diligit? Quæ superbos,
» quæ maleficos, quæ crudeles, quæ
» ingratos non aspernatur, non odit? »
Hic autem communis nationum consensus non aliunde esse potest, nisi animis nostris insita sit naturalis lex.

Hinc, ut sapienter observat S. Augustinus, *enarr. in psal.* 57. *n.* 1. » Cui
» iniquo non facile est loqui justitiam?
» Aut quis de justitia interrogatus,
» quando non habet caussam non facile
» respondeat quid sit justum? Quando-
» quidem manu formatoris nostri in
» ipsis cordibus nostris veritas scripsit:
» *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri?*
» Hoc et antequam lex daretur, nemo

» ignorare permissus est, ut esset unde
» judicarentur, et quibus lex esset data. »

C. *Ex naturalibus hominum propensionibus.*

Communi autem gentium sententiæ naturales quoque propensiones respondent. Nam si omnia officia vitæ nostræ, sive erga Deum, sive erga alios, sive erga nos perpendemus, multa sane sunt ad quæ naturaliter impelli experimur. Si enim Dei naturam ejusque infinitas perfectiones contemplemur, altissima admiratione capti ad eum colendum et venerandum excitamur.

Quibus vero grati animi sensibus commovemur, si ulterius advertamus quanta beneficia a supremo Numine in nos profluxerint semper et quotidie profluant? Hinc factum est ut omnes gentes suam religionem habuerint.

Neque ad amoris et benevolentiæ officia aliis præstanda minus inclinamur: nam tanta est illa vis qua vel ad benemerendum de aliis, vel ad eorum miserias levandas commovemur ut vel ignotis periclitantibus ultro ex animo succurramus. Deinde amor prolis in parentes, filiorum erga illos pietas, observantia erga eos qui laude atque honore digni sunt, familiares et benevolæ consuetudines amicorum, præmiorum retributio atque inflictio pœnarum, aliaque quam multa iis similia præclara officia sunt, quibus naturaliter nos addictos esse sentimus. Demum naturaliter nos ad ea ferri quæ commendant vitam nostram experientia compertum habemus: nam et recte factorum gloria ducimur, et vitæ honestate lætamur, et diuturnos labores propter virtutem sustinuisse gaudemus: contra vero si veris falsa bona,

si nostræ incolumitati fugientem voluptatem prætulerimus, si ut maximum evitaremus parvum malum sustinere non valuimus, dolore angimur et discruciamur.

Hinc perditi etiam homines virtutem admirantur, eamque plurimis efferunt laudibus, et aliorum quoque vitia improbantes illud sibi vellent sine scelere comparare quod facinore obtinuerunt.
» Quis est, ait Tullius *lib.* 3. *de fin.*,
» aut quis unquam fuit, aut avaritia
» tam ardenti, aut tam effrenatis cu-
» piditatibus ut eamdem illam rem
» quam adipisci scelere quovis velit
» non multis partibus malit ad sese
» etiam omni impunitate proposita sine
» facinore, quam illo modo pervenire? »
Itaque Senecæ verbis, omnia quæ diximus, complectamur: » Placet suapte
» natura virtus; adeoque gratiosa est
» ut insitum sit etiam malis probare

» meliora....... Maximum hoc laudemus
» naturæ meritum, quod virtus in
» omnium animos lumen suum præ-
» mittit: etiam qui non sequuntur illam
» vident. » (De benef. l. 4. c. 17).

Hæc firmissima et tutissima sunt adeo ut nullo possint impiorum conatu commoveri: attamen ut quibus fulciatur Hobesii cæterorumque pseudo-politicorum systema cognoscatis, quasdam hic coronidis loco proponimus difficultates.

*Objectio.*

Hobbesius, *Leviathan cap.* 15, *et de civ. cap.* 12, ait: » Jus non natura
» sed pactis constitutum est: ubi non
» præcessit pactum, nihil potuit fieri
» injustum nec cuilibet inferri injuriam;
» et vocabula *justum* et *injustum* ante
» potentiam civilem, quæ violationem
» pactorum ulcisci posset usurpata non

» fuere. » Ex hoc principio infert Hobbesius regulas boni et mali, justi et injusti ex civilibus legibus desumi.

Huic respondetur; errorem hunc jam profligaverat Cicero *lib.* 1. *de leg. c.* 15. » Si populorum jussis, ait ipse, si principum decretis, si sententiis judicum » jura constituerentur; jus esset latro» cinari, jus adulterare, testamenta falsa » supponere, si hæc suffragiis aut scitis » multitudinis probarentur. Quæ si » tanta potestas est stultorum sententiis » atque jussis, ut eorum suffragiis rerum » natura vertatur; cur non sanciunt, » ut quæ mala perniciosaque sunt ha» beantur pro bonis et salubribus? Aut » cur cum jus ex injuria lex facere » possit, bonum eadem facere non possit » ex malo? Atqui nos legem bonam » a mala nulla alia nisi naturæ norma » dividere possumus; neque solum jus

» et injuria a natura dijudicantur, sed » omnino omnia honesta et turpia: » nam et communis intelligentia nobis » notas res efficit ut in virtute honesta » ponantur, in vitiis turpia. Ea autem in » opinione existimare non in natura po- » sita, dementis est. » Sed ultra progrediamur. Demus parumper quod homines ut propriæ conservationi et propriæ societati consulerent, in societatem coiverint, et quibusdam se constrinxerint pactis ex quibus leges civiles ortæ sint. Quam quæso auctoritatem habent, qua ratione homines vincire poterunt leges hujusmodi? Supremum hoc statuit Hobbesius naturæ præceptum: *Quærenda pax est quatenus habendæ ejus spes aliqua affluxerit: ubi ea obtineri non poterit, circumspicienda sunt belli auxilia.* Cap. autem 3. de Civ. docet præcepta quæ ab hac prima lege dimanant.

Obligare, ait ipse, quoad animi dispositionem quotiescumque videbitur, earumdem observantiam conducere ad finem quo diriguntur. Si quis ergo leges judicaverit neque ad pacem aptas, neque fini accomodatas iis non tenebitur: legum igitur vis et auctoritas tota est a particulari cujusque hominis judicio, nulla omnino aliunde.

Pactis standum, superiori obediendum; hæc rectitudinis theoremata vera quidem sunt. At si nullum antecedit servandi ordinis præceptum, si nulla est boni et mali distinctio; si non natura, sed pactis homines in civitatem coalescunt, si nullo intrinseco vinculo et lege jura aliorum sunt custodienda; nullum habent robur, nullam firmitatem, totumque ruit reipublicæ ædificium. Leges igitur civiles auctoritatem sibi conciliant si quidem innitantur juri naturali, quo quisque tenetur tum legibus tum su-

premis moderatoribus obedire ut societas salva tectaque servetur.

Cæterum cum leges civiles cum pro diversitate temporum tum pro multiplici nationum varietate infinitis propemodum mutationibus subiiciantur, si ab illis boni et mali discrimen repetendum esset, jam fieret hodie bonum rectumque quod heri turpe habebatur. Jam utriusque notiones mutato cœlo permutarentur, perpetuoque mutaretur seu potius nullum esset naturale jus.

At dicetur: Quod naturale est commune debet esse et constans; sed diversa sunt apud diversos populos morum principia, rectumque est apud aliquos quod alibi turpe et inhonestum habetur; non igitur a natura oritur, sed a moribus et a legibus discrimen vitii et virtutis.

Facile respondetur. Duplici ratione morum principia sumi possunt; et qua-

tenus in mente hominis sunt, et quatenus opere et actione complentur. Si primo sensu seu *speculative* accipiantur, omnibus populis et singulis hominibus ratione utentibus communia sunt, nec fieri potest ut ex alicujus mente deleantur. Si vero principia hæc secundum alterum sensum, idest *theoretice*, ut ajunt, sumantur, contingit aliquando propter improbitatem et pravam agendi consuetudinem ut deleantur in praxi, et tunc in re evidenti et maxime perspicua aliter quisquam operetur ac agendum esse cognovit: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Ita in particulari operatione idem est ac si morum principia non cognoscantur.

Varia insuper distingui debent naturalis legis præcepta: alia sunt communia et universalissima ex quibus cætera dimanant, ut *Naturæ ordo serbandus: Ductu*

*rationis agendum: Deus colendus* et similia: alia sunt quæ ex communibus hujuscemodi naturæ principiis proxime consequuntur, ex. gr. *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis: Parentes colito* etc. Nemo est qui de istis principiis speculative suspicari aut dubitare possit, quamvis ea rationis abusu a plurimis practice negliguntur.

Hæc enim vel ex Dei existentia et attributis, vel ex creaturæ intelligentis essentia ita clarissime inferuntur, ut nemini incomperta esse possint, qui humanam naturam non exuerit.

Ast aliæ sunt conclusiones quæ ex principiis superius memoratis remotius colliguntur. Ita principium generale est: *furari non licet.* Ex hoc principio sequitur hæc conclusio: *Ergo usura non est licita.* Quoad hæc principia aut conclusiones quæ a primitivis longius distant,

una eademque non est notio apud omnes. Licet enim naturalis lex rationis lumine fulgeat, quo magis tamen remota sunt legis naturalis principia eo longiori opus est propositionum circuitu et nexu, ac proinde difficilius comperta fiunt.

Et revera quo magis exculpta est studioque exercitata ratio, eo perfectior et intimior adquiritur principiorum naturalium notitia. Hinc qui rationis usu non pollent quales sunt infantes, ii carent legis naturalis cognitione quam simul cum ipso rationis usu adipiscuntur. Si ergo ita rudes sunt nonnulli homines, ut ingenii acies morum corruptione aliisque de caussis fuerit hebetata, jam tales homines principiis derivativis destituuntur.

Revera quidam a viatoribus reperti sunt populi qui in pluribus bonum a malo non secernebant. Itaque non solum quoad remotiora sed etiam quoad prima

morum principia, communis populorum consensus desideratur. Dicemus nos istis qui sic loquuntur. Hoc inficiamur generaliter cum generaliter propositum sit. Etsi aliquis nobis opponitur populus qui vel legibus vel moribus suis adversari videatur primis legis naturæ præceptis, id recentiorum relationum ope falso affirmari demonstrabimus. Videatur Aloysius Brenna, in Op. cui tit.: *De consensu omnium populorum in ad. Div. t. 1. de antiquis, t. 2. de rece. pop.* Notum interea sit, ut exemplo utamur recenti, quod falsa plurima primi viatores Americæ narraverunt de illis populis quorum sermonem mores et multo minus eorum animi cogitata intelligere non potuerunt. Præterea parum apud illos immorati, de eorum doctrina atque legibus temere pronuntiarunt, innumerasque imperitis vendiderunt fabellas.

Quod si aliquis extet populus ita efferatus ut quædam crimina quæ naturali honestati adversantur publica firmet auctoritate et exemplo, nil inde contra legem naturæ inferri potest. Talis enim populus naturam humanæ constitutionis imaginem non refert, et tanquam humanitatis monstrum in ordine morali nostrum promeretur abominium. Cætera, quæ opponi possunt contra legem naturalem in lectura variorum auctorum facile videntur.

## CAPUT SECUNDUM

### DE PROPRIETATIBUS LEGIS NATURALIS.

Constituta legis naturalis existentia, proprietates nunc ipsius considerandæ sunt, quæ licet clarissimæ sint, plurimam tamen lucem sunt iis allatura quæ inferius exponentur.

Prima itaque legis naturalis proprietas est *unitas*, tum ratione unius auctoris creaturæ rationalis a quo procedit, tum ratione finis unius, nimirum felicitatis humanæ quam intendit et ad quam homines dirigit.

Infertur autem facillime quod lex naturæ *uniformis* esse debeat, hoc est eamdem habeat semper et ubique obligandi vim. Et certe omnia juris naturæ præcepta eumdem habent obligandi modum; homines pari modo omnes ubique existentes et pro quovis tempore obstringunt. Si aliquam pati visa sunt circa obligandi vim et modum imminutionem, non jam in lége naturali, sed in materia legis ipsius mutationem esse factam infra videbimus.

Omnes igitur homines universaliter obligat, nec a lege naturæ fieri potest exceptio personarum aut cogitari aliqua

exemtio pro quolibet hominum genere conditione gradu aut dignitate.

Tertia proprietas est *evidentia*, ejusmodi enim lex naturæ esse solet ut ipsis hominum cordibus insculpta veluti ac impressa merito dici soleat. Cum enim illa vel ex humanæ naturæ conditione, vel ex ingenito deducatur amore quo corda nostra Deum, nos ipsos, cæteros homines diligere debent, optime inferri potest legem naturæ adeo evidentem esse ut omnium hominum mente impressa videatur. Optime hinc consequitur eam obligare, etiamsi extrinsecus non doceatur aut promulgetur cuilibet; nam a natura ipsa manifestissime eruditur, et cum ratione præditus sit, cujus lumine naturalis legis vis ejusque servandæ necessitas apertissime demonstratur, uberior certe aut extrinseca publicatio minime requiritur.

Itaque juris naturalis vel eorum quæ naturali jure prohibita aut præscripta sunt ignorantia invincibilis admitti non poterit quæ proinde homines a peccati scelere excuset. Facile nimirum ac natura ipsa duce hominum quilibet internam naturæ vocem audire, jus naturale cognoscere, quæ naturæ jure vetita sive sancita sunt, ideoque quæ prava vel honesta censeri debeant distinguere poterit. At si fortasse hæc omnia rite cognoscere contempserit, vel etiam consulto neglexerit ignorantia ipsa vitiosa censeri debet: tantum abest ut illa peccati gravitatem extenuet.

Quarto tandem lex naturæ *æterna* et *immutabilis* esse debet: æterna quôd ex æternis in mente Dei justi et honesti notionibus processerit: *invariabilis* autem quôd nullis possit esse mutationibus obnoxia. Cum enim illa lex ex hominum

natura oriatur atque intrinsecis ipsius relationibus quemadmodum natura ipsa ab æterno constituta variari non possit, nec etiam jus naturale variari potest: ideoque quod jure naturæ prohibitum sit, licitum vel bonum esse non poterit; aut quod naturali jure præscribitur illicitum vel pravum esse minime poterit.

Hinc Deus ipse licet omnipotens sicuti efficere non potest ut quod intrinsece sive natura propria malum ac rationali naturæ repugnans est, illi conveniat ac malum non sit; ita quoque naturæ legem invertere, abrogare, vel, ut ajunt, *dispensare* in iis quæ naturali jure sancita fuerint non poterit.

Hæc clarissima sunt; ne vero in explicandis naturalis legis præceptis aliqua detineamur ambiguitate, probe explicandum est quomodo concipiatur legis ejusdem immutabilitas.

*Immutabile* dicitur illud ens quod attenta sui constitutione omnibusque circumstantiis in eodem statu et permanet et permanere debet: *mutabile* e contra quod ex illo statu in quo est in alterum transit vel transire potest. Duplici autem ratione mutari potest lex; *absolute* nimirum si vel penitus abrogetur ab eo qui potestatem habet quoad omnes subditos, vel abrogetur pro aliqua tantum persona particulari per modum dispensationis: cujus vi hæc persona legi subducatur, manente quoad cæteros subditos legis obligatione. *Relative* vero mutari potest lex si decursu temporis ex utili in noxiam, ex rationabili in irrationabilem convertatur, aut ex alia ratione diversa appareat ac fuit ab initio. Utraque hæc mutatio dari potest vel in tota lege, vel in aliqua legis parte.

His explicatis statuimus primo legem naturalem mutari non posse *respective* neque in particulari neque in universali, manente prout nunc est natura rationali. Posita enim naturæ rationalis prout nunc est permanentia, lex naturalis fieri numquam potest *noxia, irrationalis* et *inutilis*, neque quoad omnia nec quoad aliqua sua præcepta. Siquidem sive spectentur prima morum principia, sive conclusiones etiam particulares ex illis necessaria illatione deductæ, utraque præcipiunt quæ sunt essentialiter et intrinsece honesta, ea prohibent quæ sunt intrinsece mala. Igitur in his præceptis consulitur semper bono naturæ rationalis, neque pro ulla rerum serie fieri potest ut noxia aliquando evadant.

Sed neque irrationalis evadere potest naturalis lex. Quo enim fieri unquam poterit ut eadem permanente natura hu-

mana quæ apprime consonat cum ejusdem ratione, progressu temporis et mutatis circumstantiis eidem opponatur rationi?

Siquidem objectum legis naturalis est eritque semper natura rationalis ejusque perfectio.

At perpetuam firmitatem et constantiam assertam habemus a Lactantio qui præclarissima citat Ciceronis verba, *lib.* 6. c. 8: *de vero cultu.* Est quidem vera » lex, recta ratio, naturæ congruens, » diffusa in omnes, constans sempi- » terna, quæ vocet ad officium ju- » bendo, vetando a fraude deterreat, » quæ tamen neque probos frustra » jubet aut vetat; nec improbos ju- » bendo aut vetando movet. Huic legi » nec abrogari fas est, neque derogari » ex hac aliquid licet, neque tota abro- » gari potest. Nec vero, aut per Se-

» natum aut per Populum solvi hac lege » possumus. Nec erit alia lex Romæ, » alia Athenis, alia nunc, alia posthac: » sed et omnes gentes, et omni tem- » pore una lex et sempiterna et im- » mutabilis continebit: unusque erit » communis quasi magister et imperator » omnium, Deus. Ille legis hujus in- » ventor, disceptator, lator, cui qui non » parebit ipse se fugiet, ac naturam » hominis aspernatur: hoc ipso luet » maximas pœnas, etiam si cætera sup- » plicia quæ putantur effugerit. » Ergo lex naturæ mutari non potest *respective*, idest numquam evadere potest noxia irrationalis et inutilis, neque quoad omnia neque quoad aliqua præcepta.

Statuimus secundo legem naturalem neque totam neque in aliqua ejus parte ab humana quavis potestate abrogari posse et imminui, vel quoad omnes

homines vel quoad aliquos. Id evidentissime infertur ex ipsius legis consideratione; si enim ipsa jubet quæ intrinsecam habent honestatem, et ea vetat quæ intrinsece et necessario turpia sunt; si ipsa ex Dei lege æterna, hoc est ex divina voluntate dimanat, quænam erit humana potestas quæ impune Dei ordinationi resistere possit, aut quis erit hominum qui rerum naturam immutare queat, ita ut honestas in turpitudinem et turpitudo in honestatem convertatur?

Statuimus tertio legem naturalem perseverante in eodem statu humana natura neque tota neque ex parte a Deo abrogari, minui et dispensari posse. Nam legem naturalem sive totam sive ex parte abrogari, minui et dispensari idem est ac hominibus concedere ut aliquid agant quod lege naturali prohibitum est, permanentibus illis circumstantiis in quibus

lex naturalis illud prohibet: lex autem naturalis prohibet id quod essentialiter turpe est et naturæ rationali oppositum. Si itaque Deus posset concedere homini, ut aliquid agat sub illis circumstantiis in quibus est intrinsece turpe, actio illa humana esset simul recta et non recta: recta quidem quia ex divina dispensatione procederet, non recta quia essentialiter turpis et contra naturæ rationalis lumen; quod quam absurdum nemo non videt.

## CAPUT TERTIUM

### DE PRINCIPIO COGNOSCENDI NATURALEM LEGEM, EO NEMPE EX QUO VELUTI FONTE OMNIA FLUUNT NATURALIA PRÆCEPTA.

Quandoquidem scientiæ omnes serie quadam veritatum continentur ex certis atque evidentibus principiis deducta, diligenter inquirendum esse opinantur

juristæ quænam sit propositio illa universalis, ex qua legem naturalem cognoscere possimus, in qua reliqua omnia præcepta veluti in semine contineantur, quæque sit veluti lapis lydius, ut ait Heineccius, et statera moralium actionum.

Sunt qui negant dari posse hujusmodi generale principium ex quo et sub quo contineantur, inferantur et comprehendantur omnia naturalia officia. Excogitari siquidem non posse putant propositionem quæ genuini principii locum teneat, nec tot præcepta unico posse fundamento inniti; hinc in singulis juris partibus particularia inquirunt et adequata principia. Ita plures ex protestantibus; nec mirum, cum videant inter suos quot auctores tot etiam esse diversas sententias.

Negari tamen haud potest utilissimum fore principium ex quo omnia derivent

quæ ad jus naturale spectant, cum quo officia omnia comparari possunt; ita enim moralia præcepta facilius demonstrantur, et ad quamdam revocantur unitatem.

Hujus principii plura debent esse attributa, nempe debet esse *primum* ex quo omnium naturalium officiorum ratio reddi possit: 2.° requiritur ut sit *verum;* ex falso enim principio plura itidem falsa inferuntur: 3.° ut sit in ordine morali *evidens:* inde enim omnes qui voces intelligunt deducere debent quid sit juris naturalis: 4.° tandem necesse est ut sit *adequatum,* tale nimirum ut ex illo omnia quæ ad legem naturæ pertinent inferantur.

His prænotatis atque illis scriptoribus omissis qui licet corruptissimæ philosophiæ duces sint se tamen magistros et restauratores moralis disciplinæ vocant,

Grotii solummodo et Puffendorfii mentionem faciemus.

Grotius hoc exhibet naturalis legis principium, *de jure bel. et pac. in discur. prelim. et in proleg. n.* 8; *lib.* 1. *cap.* 1. §. 12. *n.* 1. » Appetitum societatis pa-
» catæ et tranquillæ, cohærenter vide-
» licet ad juris naturalis constitutionem
» ab ipso firmatam in quadam conve-
» nientia aut disconvenientia cum na-
» tura rationabili et sociabili. » Ait itaque, societatis custodiam humanæ menti convenientem esse fontem juris proprie dicti. Hujusmodi vero principium quoniam in nobis non ab alio quam a Deo auctore existit, idcirco Deo tribuendum esse pronuntiat.

Puffendorfius latissime amplificare conatur Grotianum hoc socialitatis principium, adeo ut ipsi tamquam auctori tribuatur communiter. Sic autem asserit,

*de jur. nat. et gent. lib.* 2. *cap.* 3. §. 15: » Fundamentalis lex naturæ istæc erit: » cuilibet homini quantum in se est » colendam et conservandam esse pa- » cificam adversus alios socialitatem in- » doli et scopo generis humani in uni- » versum congruentem. » Profecto in hoc socialitatis principium plures protestantium devenere, multis ex adverso contradicentibus; unde maxima inter eos discordia exorta est.

Et revera latissime errant Grotius et Puffendorfius cum ita de socialitatis principio disserunt ut illud veluti primum habeant, ex quo reliqua omnia legis naturæ deducant. Expendamus hoc per partes.

Et 1.° quidem: principium socialitatis non est *primum* ex quo omnium officiorum naturalium reddi possit ratio, neque socialitas veluti prima haberi

debet naturalium obligationum. Primo enim homini sua inhærant certissime naturalia officia erga se ipsum et erga Deum; primus homo vivere poterat extra societatem civilem quam refertum principium respicit. Poterat igitur primus homo extra societatem civilem vivere in cetera juris naturalis ignorantia.

2.° Licet autem verum sit homines hominibus naturam conciliare ad orationis et vitæ societatem, socialitas tamen non aliam parare potest felicitatem nisi tantum externam et solis hujus vitæ limitibus conclusam. Finis autem quem ex lege naturali intendit homo est perfecta et adæquata felicitas, tum hujus tum alterius potissimum vitæ. Secus, ut probe advertit Leibnitius, *epist. ad Molan.* » Juris naturæ officia nullam » haberent vim in cordibus hominum. » Atqui naturalis lex debet esse hujus-

» modi ut homines ad perfectam felici-
» tatem dirigat; principium ergo socia-
» litatis non est omnibus accomodatum
» officiis, et hoc sensu falsum est. »

3.° Sed neque *evidens* est iis etiam qui voces intelligunt: siquidem *socialitatis* vocabulum determinatum non exhibet societatis speciem; quare latrones et piratæ dici etiam possent vivere socialiter, quod sane cum Grotianis principiis nequit congruere. Ita de hujus principii evidentia scribit Heineccius: » Evidens
» quidem est hominem vivere debere
» socialiter, sed non statim expeditum
» est, qualem esse oporteat socialitatem:
» nam et latrones vivunt socialiter. So-
» cietas ergo est terminus æquivocus:
» quod æquivocum est non potest esse
» evidens. »

4.° Tandem non est *adæquatum*. Exinde enim inferri nequeunt officia erga se

ipsum, quorum aliqua saltem nullam habent ad alios rationem. Rursus officia erga Deum qui propter societatem coli non debet unice ex socialitate non pendent. Ac denique actibus internis principium idem aptari non potest: non est itaque adæquatum.

Quo circa quid nos sentiamus de primo legum naturalium principio definiendum nunc est. Duplex principium distingui debet: alterum nempe quod *constitutivum* vocant, et illud est in quo continetur fundamentum et causa sufficiens tum auctoritatis ex parte legislatoris, tum obligationis ex parte subditorum; nimirum principium constitutivum illud est sine quo nulla haberetur lex, nullum jus, nulla obligatio.

Alterum *cognoscitivum* dicitur illud videlicet quo cognito officia omnia legis naturæ pariter cognoscuntur.

Quoad primum nullam haberi volumus quæstionem : tota enim legum auctoritas ita a Supremi legislatoris Dei æterna lege dimanat, ut ea sublata vel nulla lex haberetur vel certe liberos hominum animos cogere vel obligare non posset. Lex norma quædam et ordo est quo humanæ voluntatis actus ad unum potius quam ad aliud objectum dirigitur. Clarissime autem apparet hunc ordinem a Deo solo constitui et definiri posse, qui cum voluntatem ipsam humanam hoc potius quam alio modo creaverit, illam ad hoc potius quam ad aliud objectum direxerit, hoc non alio modo voluit operari, his non aliis relationibus devinciri. Ideoque nisi Deus ipse supremus omnium dominus liberam hominis voluntatem legibus coercuisset, poterat voluntas ipsa in quemlibet actum libere erumpere, nullique legi vel ordini subjacere.

Principium itaque constitutivum legis naturalis in Dei Creatoris summe sapientis, potentissimi et infiniti Boni voluntate continetur: quatenus nempe Creator est, supremum habet hominum dominium; quatenus est sapiens, potest homines regere; ut potentissimus, illos ad obedientiam compellit; tandem cum sit summe bonus imperat ea quæ recto tramite ad felicitatem conducunt. Ideoque nullam sibi conciliaret auctoritatem naturalis lex, nullam obligationem pareret, nisi ex lege æterna dimanaret.

Principium legis naturalis cognoscitivum hoc est: *quod est necessario conforme aut difforme ordini naturali est jure naturæ præceptum, vel prohibitum.*

Tale esse primum legis naturalis principium manifestum fit simplici explicatione verborum.

Et 1.° quidem rerum universitas ex entibus constat sibi mutuo connexis, quorum unum respectum ad aliud habet; ex his relationibus unitas pendet et pulchritudo universi, idest quod ordinis naturalis nomine nuncupatur; et tunc servari ordinem naturalem dicimus cum omnes hæ relationes conservantur. Quod si fiat, res omnes proprium finem naturaliter constitutum attingunt.

2.° Ideoque finis notio necessario continetur in ordinis naturalis notione: impossibile enim est ut ordo servetur si res omnes huc usque expatiantes a proprio fine aberrarent.

3.° Cum ergo quæ natura est totius, eadem sit et natura partium; homo quoque cum cæteris creaturis conjungitur, atque ab illis dependet, ut fusius cap. 1. lib. 1. demonstravimus. Ipse igitur non secus ac cætera quæ in rerum univer-

sitate constituuntur ordini naturali subiicitur; et nisi ordinem hunc custodiat quantum ex se est, finem proprium attingere nequit.

4.° Hinc oriuntur leges quibus edocemur quid singulorum expectet natura ut sint et bene sint, quid singuli a singulis, quid reges a subditis, quid subditi a regibus, quid summus rex Deus ab hominibus expectet, quid a Deo expectare homines debeant, quid cives ab extraneis, quid cives a civibus, quid denique in omni hominum genere ac statu postulet natura ut relationes istæ conserventur.

Et quemadmodum rei cujuslibet natura leges dignoscuntur, si locum quem in rerum natura occupat, si finem, si relationes ejus cum cæteris cognoscimus; ita etiam de hominum legibus affirmandum. Ideoque omnis præcepti et officii naturalis ratio in præcepto servandi or-

dinis continetur, quo nullum anterius excogitari potest.

Non aliam certe in re de qua agitur doctrinam professi sunt S. Augustinus et D. Thomas. Primus legem æternam ex qua leges omnes proficiscuntur definiens, rationem divinam dixit seu voluntatem Dei ordinem naturalem conservari jubentem et perturbari vetantem, *contra Faustum, l.* 22. c. 27. Alter vero legem naturalem vocat participationem legis æternæ in creatura rationali.

Idem Doctor cum ostendere pergit corpus animæ subiectum esse, animamque ipsam corpori præstare summopere, ex quo corporis servitio atque animi imperio omne inferri potest certissime humanarum legum systema, observat, *lib.* 3 *contra gentiles, cap*. 129. n. 6. » quod
» secundum naturalem ordinem corpus
» hominis est propter animam: et infe-

» riores virtutes animæ propter ratio-
» nem. » Unde concludit: » Quod sic
» procuretur ab homine corpus et infe-
» riores vires animæ, ut ex hoc et actus
» rationis et bonum ipsius minime impe-
» diatur, magis autem juvetur: quod si
» secus acciderit erit naturaliter pec-
» catum. » Hinc etiam cum judicium instituit de convenientia aut rectitudine humanarum actionum, quærit utrum cum fine hominis conveniant unicuique; et *n.* 7 ait: » Naturaliter conveniunt ea
» quibus tendit in suum finem natura-
» lem, quæ autem e contrario se habent
» sunt naturaliter inconvenientia. » Nemo autem non videt ideo hominem operari debere secundum finem, nisi quod servare debeat naturalem ordinem in quo rerum omnium fines continentur.

Ut autem dignoscatur quomodo ex tradito principio in particulares actiones

congrua fiat applicatio, concipiamus hominem cum triplici relatione in hoc mundo constitutum, erga Deum scilicet, erga seipsum, erga cæteros homines, et aliquid agere volentem quod ad Deum spectat. Illo utens principio cognoscitivo sic ratiocinium instituit: *Quidquid est necessario conforme aut difforme ordini naturali est jure naturæ præceptum aut prohibitum: atqui actus hic erga Deum est ordini naturali necessario conformis; ergo præceptus est jure naturæ.* Pari ratiocinio ad ea quæ sunt naturalis juris erga seipsum vel alios progredietur. Potest aliquando dubitatio oriri circa necessariam actionis cum ordine naturali connexionem, ut inde inferatur præceptum aliquod ex jure naturæ.

Dixi *aliquando:* sæpissime enim ratio ipsa pro data circumstantia citra omne dubium bonum faciendum vel malum

fugiendum edocet, quin et intimus quidem sensus; uti si de eligendo objecto vel turpi vel honesto, aut de actu eliciiendo amoris aut odii respectu alicujus objecti determinati agatur, hominem ad honesta peragenda videtur inducere; nisi voluptatum illecebris irretitus animus intimi sensus voces non consideret aut contemnat.

Si vero aliquando necessaria illa actionis cum ordine conformitas determinari non possit, optima hisce in casibus lex erit animum advertere ad actum oppositum, ibique statim difformitas a naturali ordine demonstrabitur.

Dixi superius hominem in triplici relatione constitutum esse, et jure quidem: 1.° enim Deus hominem condidit, eumque nobilissimis facultatibus et viribus exornavit: honestum igitur et debitum est Deum ipsum colere, eumque vivido grati animi et amoris sensu complecti.

Naturæ insuper ordo postulat ut finem nostrum nitamur consequi, atque ut veram beatitatem quæramus. Quid autem est Deus nisi beatitudo nostra in qua solum cor nostrum requiescere possit? Deum igitur super omnia diligere debemus.

Quod si deinde homo se consideret, intelliget se cunctis omnibus nobiliorem esse, et proinde ad finem creatis omnibus præstantiorem dirigi. Quod ubi cognoverit ingenito naturæ impulsu, ad sui amorem excitabitur. Conforme igitur est naturali ordini viribus omnibus eniti, ut perfectiones omnes sibi divinitus concessas incolumes tueatur, perficiat, melioresque reddere curet.

Si denique homo seipsum cum cæteris hominibus conferat, eorumque naturam consideret ac indolem; clarissime percipiet se in ordine naturali ejusdem esse cum aliis naturæ. Omne quod in-

tercedit discrimen inter homines, non a natura, sed ab educatione ac vitæ commercio aliisque accidentibus exoritur. Hinc nullum sibi in cæteros jus concedit; sed omnes veluti sibi similes, amare, tueri nullamque injuriam se posse cuiquam irrogare noscit.

His tribus officiis custodia integra profluit naturalis ordinis; nam Deus reperitur tanquam finis, quilibet homo veluti ad finem tendens, et cæteri etiam homines nobiscum naturæ vinculis colligantur. Ergo si homo tum Deo, tum sibi, tum cæteris hominibus tantum tribuat quantum supra exposuimus, relationes omnes servat et custodit, adeoque naturalem ordinem quoad se perfecto tenet. Cum autem tribus illis officiis tota naturæ lex contineatur, apertissimum est præceptum servandi ordinis naturalis fundamentum et basem esse omnis legis.

## Appendix.

*Officia naturalia quæ ex laudato servandi ordinis naturalis præcepto inferuntur veræ legis rationem habent.*

Ad legem constituendam satis non est ut norma actionum habeatur, sed requiritur insuper; 1.° ut suam habeat sanctionem; 2.° ut obliget tum quoad internos, tum quoad externos actus; 3.° et cum agitur de lege naturali requiritur ut rationi hominis sufficienter innotescat. Ideoque observandum est num ex iis quæ de ordine naturali tradidimus hæc tria consequantur; ita enim naturalis lex firmissime erit constituta.

Et 1.° quidem sanctio decretum est pœnam violatoribus infligens, cui additur etiam promissio præmii iis qui legem observaverint. Custodiam autem natu-

ralis ordinis utraque sanctione firmatam esse ex eo constat quod ipsa medium sit finis obtinendi: si eam custodit homo felix est, si secus fecerit perturbationem et miseriam sibi comparat tum in præsenti tum præcipue in altera vita. Hoc igitur præceptum qui servat, præmium certissime obtinet, pœnam qui violat: servare enim naturalem ordinem idem est ac actiones elicere naturæ rationali consectaneas. Nemo vero ambigit se esse in hac vita quantum fieri potest felicem, si naturæ et legi conformiter vivat; ideoque non alia ratione se conservare et perficere potest, quam si secundum naturalem ordinem vivat. Deinde Deus ipse auctor et conservator est ordinis quem certissime pro hominis utilitate constituit; inde fit ut ejusdem ordinis vindex esse debeat, ni dicere velimus Deum ad instar Æpicurei numinis semo-

tum a nostris rebus et longe sejunctum nec bene pro meritis capi, nec tangi ira.

Hæc vero experientia quoque satis comprobantur: quisquis ordinem servat, quisquis rite iis fungitur officiis quæ ex propriis relationibus dimanant, suavitate gaudio et voluptate fruitur dulcissime. Debitus ordo in cibo et potu sanitatem et vigorem corporis parit, justitia extrinsecam pacem et tranquillitatem tum in domestica quam in civili societate, amor amorem, fidelitas benevolentiam et cæterorum hominum auxilia captat, religio erga Deum suavissimam animi delectationem: nulla uno verbo virtus est quæ præmium suum adnexum non habeat.

Oppositum de ordinis violatione dicendum: aut illum custodi, aut miser esto.

» Raro antecedentem funesto
» Deseruit pede pœna claudo. »
Horat. l. 3. od. 2. v. 31.

» Animus impurus, ait Sallust. in Cat.,

» diis hominibusque infestus, nec vigiliis » nec quietibus sedari poterat: ita con- » scientia mentem excitam vexabat. » Et Tullius: » Scelerum in homines atque » impietatum nulla expiatio est; itaque » pœnas luunt non tam judiciis (quæ » quondam nusquam erant, hodie mul- » tifariam nulla sunt; ubi sunt tamen » persæpe falsa sunt) quam conscientia; » ut eos agitent insectenturque furiæ, » non ardentibus tædis sicut in fabellis, » sed et angore conscientiæ fraudisque » cruciatu. » De leg. l. 1. c. 14.

Manifestum autem est sanctionem præsentis vitæ, licet vera sit, imperfectam tamen et insufficientem esse. Nulla enim datur perfecta legis sanctio, nisi hæc tria concurrant: 1.° ut legis custodia semper præmium, violatio autem pœnam semper consequatur: 2.° ut præmium et pœna directam sequatur cu-

stodiæ aut violationis proportionem; ita ut diligentiori observantiæ majus præmium, majori violationi major pœna respondeat: 3.° quod tantum sit præmium ut quodlibet detrimentum in custodia legis perpessum valeat compensare; et tanta sit violationis pœna, ut voluptatem ex ipsa perceptam saltem adæquet. Has autem conditiones temporaria legis naturalis sanctio non habet; ut ex iis manifestissime constat, quæ libro superiori constituimus. Itaque haberi debet et revera habetur in altera vita perfectissima legis naturalis sanctio; idest homines naturalem ordinem custodientes, qui in virtutis justitiæ et pietatis semita ambulaverunt usque ad mortem ineffabili felicitate et torrente voluptatis inebriabuntur in altera vita.

Si igitur custodia ordinis naturalis imperfecte in hac vita, perfectissime in altera

sancita est; si maximum bonum observantibus, suprema autem mala contumacibus imminent; si sola ipsa est quæ ducit ad felicitatem; si tandem Deus ipsiusmet ordinis et legis assertor, illius etiam est vindex justissimus, evidenter consequitur legem istam veram obligationem imponere, scilicet hominem ad certum agendi modum impellit, ne propria abutens libertate viam infelicitatis excurrat.

2.° Obligatio autem hæc corpus et animum devincit: cum enim duabus partibus corpore et animo constet homo, debent ambo in custodiam ordinis tendere; quin immo proprie loquendo solus animus obligatur, quippe is tantum legis et obligationis est capax; et cum dicimus actiones etiam externas legi subiici, tunc soli animo jubetur ut ad normam naturalis ordinis corpus dirigat et moveat. Igitur regula a nobis statuta interiores

respicit actiones, eo vel magis quod ipsa præcipiat amorem Dei super omnia, amorem nostri et cæterorum hominum, qui certe non corporis, sed animi est. In maximo itaque errore versatur Puffendorfius qui statuit legem naturalem externas tantummodo respicere actiones.

Plura autem ad corpus specialiter pertinent: sui ipsius corporea conservatio et perfectio, auxilia proxima præstanda, et cultus externus Deo exhibendus. Igitur custodia ordinis naturalis internas tum etiam externas respicit actiones.

3.° Præceptum servandi ordinis et naturale jus hinc dimanans solo naturali lumine per se patet et certum est. Hæc itaque propositio innitur iis quæ supra diximus. Nihil enim est quod revelatione, nihil quod humana auctoritate sit demonstratum: omnia ex ipsa hominis natura, et ex necessariis fluunt relationibus quibus

secundum naturalem ordinem devincitur homo. Itaque præceptum custodiendi ordinem rationis lumine innotescit, et quidem certissime: nam ubi claræ sunt ideæ et necessarius inter eas nexus habetur, ubi certa pariter deducitur cognitio, ibi certitudo deficere nequit. Hæc autem omnia in laudato præcepto locum habent.

Errant igitur illi qui cum Puffendorfio sejungunt a naturali jure officia hominis erga Deum; et pessime desipit Hobbesius qui principia legis naturalis sola revelatione certa posse fieri contendit.

Tandem male naturali juri consuluerunt, *Tamagna met. p. 5. cap. 1. art. 4*, qui illud dimanandum esse putarunt a traditione perpetua quæ ab Adam in universum orbem diffusa ad nos usque propagata est. Videntes ipsi varias discrepantesque juristarum opi-

niones circa legis naturalis fundamenta rem omnem penitus absolvere putarunt, si vera hujus legis principia a traditione tantum derivarent; ita ut primus doctor fuerit Deus, primus discipulus Adam, ab illo autem in posteros descenderit. Hæc autem methodus recta certissime non est, cum unico innitatur traditionis principio. Traditio universarum gentium unum quidem est ex argumentis quibus certitudo evincitur naturalis juris, sed illa non perseverasset perpetuo nisi ratione duce ea non fuissent confirmata quæ a patre in filium traducebantur. Quid enim est perpetua, constans et universalis alicujus moralis regulæ traditio, nisi omnium gentium firma consensio? Hæc autem firma consensio vox naturæ est; quæque hac destituuntur voce mutantur in dies et veluti commenta delentur.

Sed, quod maximum est, certitudini naturalis juris non satis hac opinione consulitur. Si enim non ratione cognoscuntur vera juris naturalis principia, jam nullum amplius est jus naturale. Hæc insuper traditio in laudata opinione primum in Adamo, deinde in Nöe, Abrahamo etc., ac tandem Moyse consistit: et post mosaycæ legis promulgationem in solo viguit Hebræorum populo.

Igitur vel cæteræ gentes media felicitatis obtinendæ non habuerunt, vel naturæ lex non est ejusdem necessarium medium. Utrumque autem falsum est. Concludamus igitur quod traditio, evidentiâ firmata, caussa fuerit cur universæ gentes naturalem legem et religionem fuerint amplexæ.

---

## LIBER TERTIUS

### DE ACTIBUS HUMANIS

Perfecta hominis felicitas actibus humanis comparatur, qui lege seu divina voluntate dirigantur. Cum itaque de suprema felicitate et de naturæ lege loquuti simus, instituti nostri ratio postulat ut de humanis actionibus et de ipsarum actionum judicio disseramus. Quo circa agemus: 1.° de natura actionis a lege dirigenda. 2.° de moralitate, de conscientia et imputatione actionis ejusdem. 3.° demum de habitibus humanis, seu de virtutibus et vitiis quæ repetitis actibus constituuntur.

## CAPUT PRIMUM

### DE NATURA ACTIONIS A LEGE DIRIGENDA.

Actio humana illa est quæ nascitur aut exoritur ab homine humano modo operante, prævia nimirum intellectus cognitione et voluntatis determinatione. Cæteræ igitur operationes quæ ab homine quidem fiunt, sed inconsulto sine ulla prævia cognitione attentione et consilio dicuntur *actiones hominis*, quatenus homo aliorum corporum vel brutorum instar ab externis objectis vel ab internis mechanicis motibus excitatis cœco quodam impetu ad operandum impellitur. Quapropter actiones infantium, amentium, delirorum, dormientium etc. pro humanis actibus habendæ non sunt. Quæcumque pariter actio quæ a prævia quidem mentis cognitione procedit, sed a

nulla voluntatis determinatione pendet, humanis actibus non est accensenda. Ita actus humani non sunt qui sola imaginationis, habitudinis atque etiam naturalis necessitatis vi existunt. Hinc manifestum est hujusmodi actiones, et generatim omnes quæ vel cognitione mentis vel determinatione voluntatis vel utraque destituuntur, a legibus dirigi non posse; ideoque ethicam de illis non disserere.

Communi philosophorum doctrinâ actus humanus distinguitur in *elicitum* seu *interiorem*, atque *imperatum* seu *exteriorem*. Actus elicitus ille est qui fit ab ipsa voluntate, in ea remanet et in illa perficitur, ut actus amoris, odii etc.: actus vero imperatus ille est quem voluntas quidem eligit, vult et imperat, sed a viribus corporeis exercetur; ut ambulare, oculos movere, scribere etc.

De actibus imperatis qui remote solum vel mediate a voluntate procedunt nil nobis dicendum est; quatenus enim ad ethicam spectare possunt, satis accommode ad elicitos revocantur, cum tota eorum bonitas et malitia ab ipsis interioribus actibus dependeat.

Quoad elicitos actus, actiones sex enumerari possunt: nempe *volitio*, *intentio* et *fruitio* quæ finem respiciunt, *consensus*, *electio* et *usus* quæ ad media referuntur. Admirabilis autem est intellectus et voluntatis in idem objectum conspiratio, qua fit ut quilibet voluntatis actus antecedente quadam intellectus operatione veluti lumine ac duce dirigatur.

Enim vero ut ad agendum excitemur, requiritur ut cujusdam boni species occurrat menti, cujus gratia voluntas operetur; hæc objecti perceptio vere et proprie dicitur *apprehensio*. Apprehen-

sionem qua bonum percipitur ab intellectu sequitur statim in voluntate *volitio:* quæ si fortis et vivida sit, inquirit animus num bonum illud sit expediens, num possit obtineri: hinc efficitur ab intellectu judicium ex quo enascitur in voluntate *intentio* qua bonum assequi constituit. Intentioni proxime adhæret *consilium* seu *consultatio* qua intellectus perscrutatur media ad finem accommodata; qua peracta consultatione nascitur in voluntate *consensus* quo voluntas ipsa media proposita approbat. Cum autem media varia esse possint, debet intellectus quod aptius et convenientius est discernere: quod ubi fuerit discretum voluntas illud eligit et amplectitur. Est itaque *discretio* ex parte intellectus, et *electio* ex parte voluntatis. Electo medio intellectus ipse finis bonitatem considerans mediique convenientiam, voluntatem

vehementius ad agendum excitat: atque huic *imperio* respondet in voluntate *usus* quo illa medium electum adhibet. Quandoque autem viribus corporeis ad agendum indiget voluntas, et tunc intellectus dirigere debet potentiam illam quam deinde voluntas ad actionem applicat. Habetur itaque ex una parte *directio*, ex altera autem *actio* seu *finis*. Ultimo tantem consequitur *fruitio* quæ utrique communis est, quia intellectus et voluntas comparato bono delectantur.

| *Intellectus.* | *Voluntas.* |
| --- | --- |
| Apprehensio. . . . . | Volitio. |
| Judicium . . . . . . | Intentio. |
| Consultatio . . . . . | Consensus. |
| Discretio . . . . . . | Electio. |
| Imperium . . . . . . | Usus. |
| Directio . . . . . . . | Actio seu Finis. |
| . . . . . . . Fruitio. . . . . . . . | |

Atque hæc est actuum elicitorum resolutio, qui ita ab ipsa voluntate producuntur et in ejus arbitrio continentur, ut quandocumque et quotiescumque libuerit illis imperet nec unquam invita ad illos adigatur.

Non idem de actibus imperatis dicendum, cum plerumque invita etiam voluntate in nobis excitentur; aliquando enim voluntas ipsa vel sensuum commotionibus vel appetitus impetu vel corporearum rerum illecebris rapta in eosdem erumpit. Sic nolens ad illicitas abripior voluptates, sic nolentes legem menti nostræ repugnantem in membris sentimus. Aliquando etiam ad actus imperatos cogimur, ut si vis externa corpus moveat, aut quò nolumus adigamur. Multo minus actibus naturalibus dominamur qui spirituum animalium motu excitantur, quique juxta admirabilem

mentis corporisque societatem vel a corporis constructione vel a partium compage pendent.

Non igitur oblivisci nec rerum semper cum volumus recordari possumus, neque apertis oculis luceque perfusis imperare ne videant objecta. Operationes hujusmodi quæ voluntatis imperio non subiiciuntur *involuntariæ*, *naturales* et *necessariæ* vocantur, ideoque nec a lege dirigi possunt.

Illud igitur primum observari debet voluntarias actiones illas esse quæ ita a voluntate proficiscuntur, ut in eas voluntas ipsa propensione, inclinatione et quodam veluti pondere feratur. Hinc optime a scholasticis *voluntarium* definitur: *id quod fit a principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio.* Illud scilicet quod ab intrinseca hominis operandi vi procedit, quaque ad agen-

dum inclinamur, ubi mens cognoverit omnia quibus actio continetur: objectum nimirum, finem, circumstantias et accidentia.

Oppositum affirmandum de *involuntario*, in quo nec ulla cognitio nec voluntatis inclinatio, sed repugnantia potius reperitur.

Celebris deinde est partitio *voluntarii* in *liberum* atque *spontaneum*. Actio spontanea ea est quæ fit ab anima dum ipsa a nulla extrinseca vi ad agendum cogitur; nec tamen voluntas seipsam ad actum determinet, sed ingenita quadam necessitate aut naturali pondere ita in actum fertur ut illum prohibere nequeat. Actus spontaneus dicitur etiam liber a *coactione*, quatenus quamcumque excludit extrinsecam vim qua voluntas hominis invita et renuens ad actionem moveatur. *Liber* autem dicitur ille actus

quem voluntas ita elegit ut independens sit omnino ut illum eligat vel ab illo declinet. Hinc actus hujusmodi non modo immunis est a coactione, sed omnem excludit determinationem et necessitatem tum extrinsecam tum intrinsecam; adeoque *liber a necessitate* vocari solet.

Hoc itaque maximo discrimine spontaneum a libero secernitur, quod in libero voluntas ita operetur ut possit non operari; actionem suspendere, vel etiam oppositam amplecti; uno verbo nulla extrinseca vi vel intrinseca necessitate ab actione rapitur. At in actu spontaneo nulla quidem habetur extrinseca vis aut coactio, sed ingenita vi seu naturali inclinatione ita voluntas ad agendum determinatur, ut nec dissentire neque ab actione eadem declinare possit.

Nemo ambigit libertatem *a coactione* homini concessam esse, plurimos nimi-

rum elicere posse spontaneos actus ad quos nulla exteriori coactione determinamur: ita summa spontaneitate bonum amamus; et nulla externa necessitate ad beatitatem nostram impellimur.

Ea etiam libertate gaudemus quæ *a necessitate* dicitur; si enim intimum sensum, si vires nostras, si nostrarum actionum seriem consideremus, ita in quolibet actu nos liberos esse experimur ut operemur si arrideat, si secus ab opere abstineamus. Hæc vero de quibus satis satisque in metaphysicis disseritur, obiter dixisse sufficiat.

Plura autem sunt quæ licet libere exerceri absolute possint et exerceantur, attentis tamen circumstantiis libertatem ipsam vel minuentibus vel prohibentibus libera in particulari operatione non sunt; hinc necesse est ut ea exponamus quibus libertas vitiari, minui vel etiam extingui potest.

Porro libertas partim ab intellectu, partim a voluntate oritur. Ab intellectu quidem quia ipse est qui objecta percipit, et de eorum bonitate et honestate judicat: a voluntate vero quia ipsa in utramque partem dirigit objecta, eadem amplecti vel respuere potest. Quæ igitur utriusque exercitium vel minuunt vel impediunt, eadem libertatem vitiant aut auferunt. Hinc involuntarium ab ignorantia ad quam referri solet, error a metu vel a concupiscentia producitur.

*Ignorantia.*

Ut itaque a primo libertatis impedimento exordiamur, ignorantia definitur: *carentia seu privatio cognitionis debitæ;* eaque vel consideratur in eo qui cognitione caret, vel respectu rei ipsius quæ ignoratur. Si primo modo consideratur, vel *vincibilis* est vel *invincibilis.* Vinci-

bilis est quam facilis et mediocris diligentia vincere et superare potest: quod si quis tali laborat ignorantia et eam vincere non curat distinguitur rursus in *supinam* et *affectatam*. Ignorantia *supina* aut *crassa* dicitur cum quis adeo iners est ut ea discere negligat quæ proprii sunt muneris, quæque ad statum et conditionem uniuscujusque referuntur: *affectata* vero est si non solum quis eadem addiscere omittat, sed etiam curet et sollicitus sit ne ea sibi invito ostendantur, et omnia sibi eripit media quibus erudiri possit. *Invincibilis* ignorantia est qua quis ita rem aliquam ignorat ut nullimode sit in ejus potestate eam cognoscere.

His ita definitis clarissime sequitur quod error ille vel ignorantia quæ invincibilis sit, libertatem et voluntarium omnino aufert. Hinc quæ ex hac igno-

rantia procedunt neque libera neque voluntaria sunt, neque ad pœnam vel præmium imputantur.

Voluntariæ enim et liberæ notiones præviam cognitionem et judicium intellectus requirunt, nihilque volitum esse dotest quod non sit præcognitum. Hanc autem cognitionem nobis comparare non possumus cum ignorantia sit invincibilis; ideoque actio quæ consequitur ex hac ignorantia, nec potest nec debet imputari. Imputantur autem quæ fiunt ex ignorantia vincibili; hæc enim nec libertatem lædit, nec actum involuntarium reddit; ideoque a culpa excusare non potest. Si enim quis et errorem et ignorantiam quam facile vinceret superare contendit, quin immo consulto dataque opera nititur ut in illa persistat, error et ignorantia libera et voluntaria erit; ideoque quidquid ex tali errore

vel ignorantia dimanat liberum et voluntarium censetur.

Quod si ignorantia respectu rei ignoratæ consideretur, alia est *juris* alia *facti*. Ignorantia *juris* ea est qua quis ipsum jus legemque ignorat, quid nempe vetitum præscriptumve sit; ut si alicui incompertæ sint leges communitatis aut regni in quo vitam degit. Ignorantia *facti* ille laborat qui quamvis leges optime agnoscat, ignorat tamen utrum hæc peculiaris actio ad legem referatur vel ei sit opposita. Ignorantia *facti* longe facilior est, et in his etiam conspicitur qui legum sunt magistri.

Igitur si quis morali adhibita diligentia hanc facti ignorantiam exuere nequit et cum ea operetur, nec voluntaria nec libera censetur actio. Ita criminosum non fuit desiderium Abimelek meditantis accipere sibi in uxorem Saram

quam sororem non mulierem Abrahami putabat.

Non idem de *juris* ignorantia affirmandum, quæ non ita facile supponitur. Si enim agitur de primariis præceptis juris naturæ, tum etiam de his quæ facili ratiocinio ex istis inferuntur, ignorantia invincibilis non admittitur. Dari autem potest in his præceptis quæ ex lege quidem naturali dimanant, sed longa nimis ratiociniorum serie; quemadmodum etiam de *jure humano* quod libere a principe præscribitur.

*Vis et Metus.*

Quemadmodum ignorantia quatenus cognitionem et judicium perimit inter involuntarii caussas recensetur, ita quoque vi et metu libertas animi vitiatur; quia in utroque non ita indifferens esse potest voluntas ut in unam pariter quam in

alteram partem inclinet. Juristæ vim aut coactionem definiunt *majoris rei impetum qui repelli non potest.* Qui impetus cum intrinsece voluntatis propensioni opponatur, voluntarium auferre existimatur. Cum tamen non quilibet metus vim inferat et cogat, ita nunc explicandum venit quæ vis aut metus libertatem minuat aut extinguat.

Atque in primis patet vim nullam actibus elicitis inferri posse: vis enim et coactio sunt ab extrinseco, actus vero elicitus ita ab ipsa voluntate producitur, ut in illa permaneat et perficiatur, et ad illum intrinseca feratur inclinatione: pugnat igitur actum elicitum esse coactum; tunc enim voluntas nollet simul et vellet; cupiendo refugeret, et amando adversaretur.

Itaque catenis, minis, verberibus ipsaque morte vinciri et terreri poterit homo,

animo autem ejus manet semper refutandi potestas.

Igitur actibus tantum imperatis vis inferri potest, iis nempe qui a voluntate quidem imperantur, sed ab organis corporeis exercentur. Fieri tamen potest ut ea non modo corpus cogat et impellat, sed voluntatem quoque ipsam sensim alliciat et inclinet, adeo ut voluntas ipsa interno actu idem eligat quod extrinseca urgente caussa sibi proponitur. Actus hujusmodi partim involuntarius, partim voluntarius est: ita nimirum voluntas in ipsum fertur ut si fieri posset, idest seposita externa vi et timore eum non eligeret. Exemplum habes in mercatore qui oborta tempestate merces in mare proiicit, et in eo qui prædoni mortem minitanti pecuniam eroget. Hisce in casibus levius inter duo, quorum unum necessario est

subeundum, eligit malum et libere amplectitur.

His positis manifestissime consequitur metum quem trepidationem mentis esse definiunt, caussa futuri et instantis periculi libertatem non abrimere, nec voluntarium omnino auferre, dummodo qui timet sui compos maneat. Flexibile autem mentis arbitrium minuit, et minus voluntarium efficit actum, adeoque malitiam extenuat. Et cum voluntas natura propria semper bonum, et inter duo mala semper minus eligat; hinc nullo timore, nullòve instante supplicio inflecti debet ad legem naturalem divinamque violandam. Legis enim naturalis et divinæ transgressio et pœna quæ ipsam consequitur majus semper sunt malum si cum temporali pœna morteque ipsa comparentur. Unde numquam licet quocumque in casu legem utramque violare,

nec unquam a culpa metus cujuscumque periculi excusat.

Aliter de legibus humanis quæ nec prohibent nec imperant quæ intrinsece mala vel bona sunt. In his enim si gravis metus qui in constantissimum etiam cadit virum intercesserit, actus nec voluntarius nec liber existimatur. *Quod motus caussa,* ajunt juristæ, *gestum est, gratum non habeo.*

Ut omnia recenseamus quæ ad involuntarii caussas referuntur, quædam hic de concupiscentia addenda sunt. Ea vero animi commotio est qua in bonum sensibilem ferimur et malum adversamur; tantaque illi sæpenumero est vis, ut hominem voluptatis illecebris raptum in bonum ipsum sensibile vel invitum abripiat. Hinc vehementes affectus qui ex illa commotione excitantur voluntatis indifferentiam minuunt, et libertas ipsa adeo constricta

videtur ut actus qui ex iisdem affectibus enascuntur involuntarii existimentur.

Demonstrari autem potest generaliter quod affectús hujusmodi nec libertatem feriunt, nec proinde involuntarium actum efficiunt. Ut id probe percipiatur duplicem distinguunt juristæ concupiscentiam, nimirum *antecedentem* et *consequentem*. *Antecedens* ea est quæ voluntatis consensum et determinationem præcedit, quæ nempe a physica caussa excitatur, ut cum vehementer conturbantur spiritus animales ob solam corporis affectionem vel quorumdam objectorum præsentiam, nihil conferente voluntate. Concupiscientia *consequens* illa est quæ oritur ex prævio voluntatis actu, ut cum ex illius desiderio quidam excitantur in corpore motus, vel cum voluntas libere ponit caussam quæ istis motibus occasionem præbeat.

Quod spectat concupiscentiam antecedentem docent communiter juristæ lumine naturali suffragante eam sub aliquo respectu augere sub altero minuere voluntarium: auget quidem ratione objectum, quia voluntatem inflammat, efficitque ut majori inclinatione in objectum ipsum feratur. Minuit autem ratione circumstantiale, quia eorum in quibus est actio cognitionem imminuit; impedit enim ne mens ab objecto in quo detendit rapta et illecta illius naturam consideret, et debitam instituat actionis cum lege comparationem. Atque inde consequitur concupiscentia antecedenti libertatem vitiari, cum plenissimam in utrumque indifferentiam impediat, fortiusque voluntatem in unam quam in alteram inclinet partem.

Observandum vero est quod si aliquis ita subito et vehementi animi vel potius

corporis commotione extimulatur, ut nullus cognitioni et deliberationi relinquatur locus, tum non solum minuitur, sed totum etiam adimitur voluntarium et liberum: adeoque actiones quæ inde consequuntur nec voluntariæ nec liberæ sunt. Hoc in casu reperitur homo ab aliquo graviter læsus, qui ita repente naturali spirituum motu excitatur ut nihil cogitando vel alapha vel vulnere lædenti respondeat.

Concupiscentia consequens cum ad voluntatem tanquam ad caussam referatur, involuntarium et liberum nullimode lædit aut extenuat; gravius hinc efficit crimen qui illius patrandi occasioni se committit, vel eamdem prævisam non vitat.

Huc spectant habitudines pravæ quibus non modo excitatur sed urgetur fere voluntas et impellitur: istæ enim non

efformantur nisi repetitis actibus quorum voluntas plenissimum habet arbitrium. Igitur incitationes ad malum ex habitibus ortæ ad concupiscentiam pertinent consequentem.

## CAPUT SECUNDUM

### DE MORALITATE ACTIONIS HUMANÆ; DE CONSCIENTIA ET IMPUTATIONE.

Hucusque actionis humanæ lege dirigente naturam consideravimus, eamque esse illius indolem statuimus ut ex prævia intellectus cognitione et libera voluntatis electione proficiscatur, iis omnibus amotis quæ utramque adimere vel vitiare possunt. Cum autem quælibet humana actio ad legem referatur, celebris exoritur divisio actionum in *bonas* et *malas*. Illa actio moraliter bona est quæ cum ordine generali seu cum lege con-

sentire deprehenditur; mala autem moraliter est actio quæ legi obversatur, quæque ab ordine et fine constituto deflectit. Hæc cum lege consonantia vel dissonantia *moralitas actionis* dici solet; nimirum ad determinandam actionis cujusdem moralitatem, ipsius constituenda est cum lege comparatio.

Observandum autem est quod si de actibus bonis disseritur, necesse est ut iidem cum lege conveniant quoad omnia in quibus continetur actio: objectum nempe, finem et circumstantias. Sicuti enim recta non est linea nisi omnia puncta oppositæ regulæ supersedeant, ita bona non est actio nisi in singulis suis partibus cum lege conveniat. Itaque actio bona fieri debet cum cognitione bonitatis moralis, quæ illi ex consonantia cum lege accedit recto animi fine debitisque mediis. Hinc si objectum non

congruit cum lege, etsi finis et media cum illa conveniant; vel si objectum congruat et media, non autem finis, bona non est actio. Male itaque se gerit qui paupertatis sublevandæ caussa, aliqua furatur: objectum nempe furtum vetitum est. Pariter male operatur civis qui se beneficum hoc fine ostendit ut seditiones excitet in populo. Tandem mala est illius operandi ratio qui de re aliqua contractum facit in loco non civilibus, sed sacro religionis officiis. Igitur ut actio moraliter mala sit, sufficit ut quadam ratione a lege dissentiat: ut vero sit bona requiritur ut omnimode sit legi conformis. Verum igitur quod vulgo dicitur: *bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu.*

## Moralitas actionis.

### *Conscientia.*

Applicatione itaque legis ad actiones utitur humana mens ut earumdem moralitatem cognoscat: cum ratio hanc instituit comparationem vocatur *conscientia*. Lumine enim rationis legem et actionum nostrarum indoles agnoscimus. Omnis conscientiæ operatio in comparatione duarum propositionum consistit, quarum una legem, altera actionem refert; ex quibus de bonitate et malitia actionis judicium fertur; ideoque quodam veluti syllogismo perficitur, cumque semper absolvunt lex, actio propria et sententia tanquam três syllogismi propositiones. Sit exemplum: *nemini licet furari* (en lex veluti lumen conscientiæ); *atqui furtum feci* (en actio); *igitur malum operatus sum* (en sententia).

Itaque Deus optimus maximus non solum voluit ut homines lege donarentur qua actiones proprias ad finem dirigerent, sed ut puriori alio atque interiori lumine ducerentur; quo non solum legem hujusmodi sancitam vel editam esse cognoscerent, simulque actum ipsum, accidentia et circumstantias omnes accuratissime circumspicerent; verum etiam nitide adverterent actum ipsum ab hujusmodi lege dissidere vel cum ipsa congruere. Lumen hoc *conscientia* est, quam, ut ait Tullius, *a Deo immortali accepimus, quæ a nobis divelli non potest, quæque in omni vita nobis testis et judex est consiliorum atque factorum* (*Pro A. Cluentio, n.* 58).

Ne vero vocuum ambiguitate detineamur observandum est conscientiæ vocabulum diversimode sumi a metaphysicis ac ab ethicis. Metaphysici con-

scientiæ nomine intelligunt cognitionem illam reflexam qua actus qui exeritur ejusque circumstantiæ nitide cognoscuntur, etsi actus ille cum lege minime compararetur: atque hæc conscientia in homine reperitur quotiescumque humano modo operatur.

Cum vero ethici moralitatem contemplentur actionum, hinc conscientiam vocant non modo illum mentis actum quo actionem cognoscimus, sed etiam legem qua talem actionem fieri aut omitti perscribitur, et quo actionem legi conformem vel difformem esse intelligimus. Igitur per conscientiam agnoscitur lex, actio ad quam lex dirigitur, simulque connexio vel repugnantia actionis cum lege proposita.

Hac de caussa merito definitur conscientia: *judicium actuale practicum dictans quid in particulari sit faciendum vel omittendum.*

*Judicium* quidem quia non solum actionem ejusque circumstantias agnoscit, sed illius convenientiam vel oppositionem cum lege; et subinde de ejus bonitate vel malitia judicat: *practicum* quia non actiones mere possibiles, scientiæ instar, sed veluti futuras aut proxime eliiciendas aut jam elicitas.

Additum postremo: *quid in particulari operabili fieri vel omitti debuit aut debet*, ut intelligatur conscientiam differre a synderesi, quæ legis naturalis principia complectitur, et a prudentia quæ conclusiones generales ex ipsis principiis deducit. Quod cum ita sit philosophi omnes vocant conscientiam *proximam* actuum humanorum regulam, legem autem *remotam*. Hoc autem clarius intelligi poterit ubi diversæ expositæ fuerint conscientiæ partitiones; itaque conscientia distingui solet in *certam* et

*dubiam, erroneam, scrupulosam* atque *probabilem.* Conscientia *certa* vel *recta* quæ certis innititur principiis, ut de bonitate et malitia actus judicare possit; seu quæ certo scit legem editam esse et ad eam referri propositam actionem.

Conscientia *erronea* e contra illa vocatur quæ falsis innixa principiis temere judicat bonam esse actionem quæ revera prava sit et a lege prohibita, vel malam esse quæ revera bona sit.

*Dubia* vero conscientia est cum quis aut de existentia legis, aut de actione ipsa anceps est, cum nullas vel pares ex utraque parte rationes habeat.

Quod si ratio frivolis levibusque momentis inducta de operis bonitate vel malitia judicet, conscientia vocari solet *scrupulosa.*

Tandem conscientia *probabilis* ea dicitur quæ *verosimilibus* innixa principiis,

quæ tamen omnem errandi formidinem non excludant, judicat bonam aut malam esse aliquam actionem.

His itaque expositis pro vario mentis judicantis statu variæ quoque leges constitui debent.

1.° Licitum nunquam est operari contra conscientiam, id agere nimirum quod malum certe judicamus, illumque omittere quod scimus certo a lege præscribi. Hoc adeo verum est, ut si conscientia falso et temere vel de lege, vel de bonitate et malitia actionis judicet, ideoque sit erronea, ab illius tamen cognitione recedere non liceat. Qui scilicet contra conscientiam erroneam operatur, sive id eligendo quod a lege vetitum esse falso putat, sive id omittendo quod eadem falso judicat præscribi malum agit. Qui enim sic operatur ita voluntatem affectam habet ut legem violare velit.

Itaque, quemadmodum accidit quibusdam in casibus, qui laborat conscientia vincibiliter erronea sive contra sive secundum illius dictamen operetur in culpa est. Si contra illam operatur aptum suscipit quem falso quidem sed revera putat esse vetitum. Si autem secundum illam agere voluerit, sed contra legem quam vitiose et culpabiliter ignorat, legem nihilominus violabit cum ab ejusmodi errore non excusetur. Hujus rei exemplum habes in Bruto qui se teneri adesse putavit filiorum supplicio *sine lachrymis sine fletu*, eminente animo patrio inter publicæ pœnæ ministerium.

2.° Mitius autem de conscientia scrupulosa sentiendum. Quamvis enim plerumque ex errore et ignorantia oriri soleat, illa tamen ab erronea distinguitur: 1.° quia conscientia erronea ex ignorantia

juris et facti derivat, scrupulosa vero ex sola ut plurimum oritur ignorantia facti, atque in viros etiam doctissimos cadit: 2.° quia scrupulosi animum semper experiuntur assiduis veluti fluctibus æxtuantem; quo fit ut expedita tranquillitate de actionibus rectum ferre nequeant judicium: 3.° denique tota hujus conscientiæ anxietas ex formidine oritur peccandi, cujus contrarium accidit in conscientia erronea: itaque cum experimento et doctissimi viri consilio comperit quis se scrupulis agitari, ut illos expellat et conscientiam deponat scrupulosam elaborare debet, et contra ipsam etiam operare.

3.° In conscientia dubia suspendenda est actio si possit. Qui enim anceps est inter utramque partem, et tamen actionem ponit quam dubitat esse vetitam, periculo se exponit ipsius legis violandæ,

quod malum est. Quod si agendi urgeat necessitas, omnis adhibenda est disquisitio ut ea pars internoscatur quæ certa aut saltem probabilior apparet, quæque nullimode periculo exponit peccandi.

4.° Tandem quod spectat ad conscientiam probabilem, homo naturæ voce admonetur ut certius teneat in operationibus suis iter ad finem suum assequendum.

Hinc tenenda et amplectenda sententia est quæ pluribus gravioribusque momentis innititur, ea relicta quæ levioribus rationibus fulcitur. In hoc enim intellectus, cujus ultimum judicium sequi debet voluntas, innato pondere inclinat; aut regulam tenemus cum de gravissimis rebus disseritur, eam sequimur prudenter in cæteris humanæ vitæ negotiis.

*Imputabilitas et imputatio.*

His præmissis facile progredi possumus ad ea quæ *imputabilitatem* et *imputationem* respiciunt. Homo actionum suarum dominus est, auctor et caussa. Hæc humanarum actionum qualitas sive attributum *imputabilitas* dicitur, ideoque imputabilis actus quilibet qui expositam superiori capite actionis humanæ indolem induit.

Imputatio vero est judicium quo, actionis alicujus auctore cognito, decernitur ipsi imputandos esse seu tribuendos actionis effectus, adeoque juxta legis præscriptum præmio aut pœna afficiendum.

Imputatio non alia ratione fieri potest nisi per comparationem legis cum actione; syllogismo itaque perficitur, cujus primam propositionem lex, secundam

actio, tertiam seu conclusionem sententia absolvit. Inter conscientiam et imputationem hoc discrimen intercedit quod per conscientiam de propriis, per imputationem de alienis judicamus actibus.

Actualis imputatio supponit: 1.° ut lex vel jubeat vel prohibeat actionem de qua agitur; 2.° ut agens aliqua obstringatur obligatione actionem illam faciendi vel omittendi; 3.° ut inter effectus actionis et actionem ipsam aliqua sit vel necessaria vel possibilis connexio quam agens aliquo pacto renovisse potuerit. Si tria hæc concurrant actiones omnes liberæ sive propriæ sive alienæ imputantur illi qui earum aliquo pacto fuerit caussa moralis: ex quo fit ut actus physicus sive materialis actio ad imputabilitatem, actus autem moralis ad ipsam pertineat imputationem. (Lampredi, *Jur. publ. theor., part.* 1, c. 3).

Quod imputationis leges respicit ex Einecio (*de jure nat. et gent. l.* 1, c. 4) et ex Lampredio depromimus, qui rem hanc summa concisione et perspicuitate disseruerunt. Itaque:

1.° Vel comparatur actio cum lege naturali et divina, vel cum lege humana. In primo casu dicitur imputatio *in foro divino*, in secundo dicitur imputatio *in foro humano*. Hæc distinctio probe notanda est, quod *in foro humano* nemo cogitationis suæ pœnam patitur; *in foro* autem *divino* cum Deus sit omniscius et internum etiam exigat obsequium, cogitationes quoque legi oppositas homini imputat.

2.° Quo certior effectuum actionis est in agente prævisio et efficacior liberiorque voluntas, eo major est imputatio. Ergo quo magis directa est agentis intentio, eo magis imputatur actio. Hinc pariter

quo magis efficax est deliberatio et quo maturior mediorum electio, eo magis imputatur actio; ideoque quæ consulto magis quam ea quæ inconsulto aguntur et quasi præcipiti deliberatione imputantur.

3.° Quo minores sunt et debiliores caussæ quæ voluntatem moveant, quo majora obstacula ab agente superanda, eo magis actio imputatur. Hæc ex secunda lege dimanant: ubi enim minores sunt caussæ voluntatem excitantes et majora obstacula superanda, eo efficacior est voluntas.

4.° Quoties intellectus et voluntas et ipse motus corporis physicus ad actionem lege perscriptam aut vetitam concurrant, toties qui eam patravit illius vocatur *caussa physica;* si vero sola mens sine illo corporis motu quo perficitur, actio tunc dicitur *caussa moralis.* Quia vero intellectus et voluntas principia sunt

actionum, inde fit ut non minus caussæ morali quam physicæ imputetur actio, si æqualis est utriusque concursus. Ergo si quis consilio, laude, approbatione, mercede, mandato vel imperio alium impellit ad actionem lege prohibitam, ejusdem actionis caussa dicitur moralis, eique imputatur. Hoc vero non prohibet quominus caussæ physicæ tribuatur actio. Si quid enim contra religionem et justitiam viro bono proponitur aut jungitur, nec vi nec minis nec doloribus nec suppliciis cedendum.

5.° Alienum pariter imputatur factum cum quis debet et potest obsistere. Si quis igitur delictum patrandum damnumque inferendum novit, neque illud impedit, cum ex officio teneatur, idem crimen idemque damnum ei merito imputatur. Cætera hac in re non investigamus cum ad peculiares pertineant tractationes.

## CAPUT TERTIUM

### DE VIRTUTE IN GENERE.

Superiori loco de actione humana disseruimus, atque de iis quibus ipsa continetur. Ita nunc rerum ordo postulat, ut aliqua dicamus de habitibus qui liberis actibus producuntur. Cumque actus ipsi nunc boni nunc mali sint, habitus etiam in bonos et malos distingui solent: primi vocantur qui bonis, mali autem qui malis actibus comparantur. Habitus boni virtutes, habitus mali vitia dicuntur.

Itaque jure definiri potest virtus: *perfectio quædam animi quæ bonis actibus requiritur, animumque ad eosdem actus facile producendos disponit.* Hinc pene eamdem virtutis notionem exposuit Tullius: (*Tusc.* 4.°) *Virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens*

*eos in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate laudabilis.* Idem sensit Aristoteles (*Ethic.* 6). *Virtus,* ait, *est habitus bonum reddens habentem et opus ejus bonum; qui habitus etiam et virtus non solum rectæ rationi consentiens est, sed cum recta etiam ratione conjunctus.*

Ut aliquid cum eodem Tullio de virtutum origine et caussa dicamus, illud agnovimus virtutes ex ipsa hominis natura, tamquam ex proprio fonte manare. » Sunt enim ingeniis nostris semina » innata virtutum quæ si adolescere li- » ceret, ipsa nos ad beatam vitam natura » perduceret. » (*Tusc.* 3, c. 1). Quod mirifice consentit cum his quæ de intrinseca actionum bonitate posuimus: virtus enim ipsa a rationali natura seu ex ingenito quo ad bonum ferimur amore proficiscitur. Quod si ingenitæ rationalis na-

turæ affectiones pravis affectibus, erroribus, malorum commercio perturbantur, virtutis splendor sensim extinguitur.

Illud pariter ex Tullii, Stoicorumque doctrina consequitur felicem vitam non posse sine virtute comparari: ea enim sive dum vivimus, sive post obitum ex perpetuo pendet actionum cum lege consensu, quem qui servat vere virtuosus dicitur.

Felicitatis autem metam attingere nequimus si actionibus cum lege consonantibus alterna vice succedat actuum series cum eadem pugnantium. Oportet ut perpetuam servemus actionum cum legibus consonantiam; atque ut hæc obtineatur requiritur ut animi determinationes cum regulis ad felicitatem hominis promovendam constitutis perpetuo consentiant. Præterea necesse omnino est ut earumdem determinationum momenta

optima sint, præclara, nobilissima, qualia decet nobilitatem humanam et infinitam Dei dignitatem, quam semper actiones nostræ respicere debent.

Philosophi communiter dividunt virtutes in *intellectuales* et *morales*. Illæ ad intellectum specialiter referuntur, eumque ad veritatem tanquam ad proprium objectum dirigunt. Virtutes morales voluntatem perficiunt, ad honestum bonumque dirigunt, et componendis præsident affectibus. In præcipuis virtutibus moralibus exponendis non una fuit philosophorum opinio. Megaricæ accademiæ sectatores unam solam virtutem, nempe prudentiam, esse putarunt, a qua cæteræ omnes defluerent. Aristoteles vero verecundiam, gravitatem, liberalitatem, magnificentiam, veritatem, urbanitatem aliasque constituit veluti diversa virtutum genera. Plato justitiæ in

primis, deinde fortitudini et temperantiæ virtutes omnes subjecit. Plerique tamen philosophi quatuor tantum virtutes enumerant: prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam quæ cæterarum omnium sint veluti principes.

His de virtute generatim constitutis mirificam earum varietatem læto animo complecteremur, nisi præcipuam ipsa et amplissimam exigeret tractationem. Quapropter judicamus non amplius de his disserere cum a clarioribus auctoribus late tractatum sit.

# LIBER QUARTUS

## DE OFFICIIS.

---

Stoicis id erat officium quod cur factum sit probabilis ratio reddi possit. Quæ definitio propria et vera est si *rationis* nomine id intelligitur quod ex firmissimis consequitur juris naturæ notionibus. Id enim est officium quod agendorum norma faciendum aut omittendum esse docet; et hinc officium complere idem est ac congruenter legi vivere; prosilire autem ex officio est actiones ponere legi adversantes. Cum itaque

legem naturalem nitide quam fieri potest explicaverimus, argumenti ratio postulat nunc ut officiorum seriem ex illa proficiscentium exponamus. Rem autem ita conficimus, ut primum de his quæ ad Deum spectant, secundo de his quæ ad nos, tertio tandem de officiis quæ ad cæteros homines referuntur.

## CAPUT PRIMUM

### DE OFFICIIS ERGA DEUM.

Inter hominis officia principem locum obtinent quæ Deum divinaque omnia complectuntur. Sive Deum rerum omnium creatorem, sive ens perfectissimum a quo bona cuncta dimanant, sive beneficentissimum hominum patrem consideremus, evidenter ostenditur ei vivido sinceroque animi sensu honorem, venerationem et amorem exhibendum esse,

et si quæ alia sunt obsequentis et grati animi officia. Qui omnes grati animi amoris et venerationis sensus in religione continentur, quæ proinde prima et maxima est omnium virtutum.

*Religio* est certa quædam Deum colendi ratio in vera cognitione fundata. Duplex est: *naturalis* altera qua nos Deum ejusque attributa lumine naturali agnoscentes eum reveremur, ei subdimur, eum timemus et amamus. Altera *revelata* dicitur, eaque est qua Deum lumine supernaturali seu revelatione quadam agnoscentes, ei cultum illum præstamus quem ipse Deus hac voluntatis suæ externa manifestatione nobis imperat et præscribit. Hinc ratione tantummodo unde earum plura dignoscuntur officia religio revelata a naturali differt: cum enim unus sit Deus una tantum esse potest vera religio.

## CAPUT SECUNDUM

### RELIGIO NATURALIS.

Atque ut a naturali incipiamus, quamvis plures religionis caussæ recenseantur, ad duas tantum revocari facile possunt, infinitam nempe Dei perfectionem quæ maximum a nobis honorem et reverentiam promeretur, et infinitum amorem quo nos illa prosequimur. Si igitur infinitam Dei majestatem spectes, sive immensum quo nos mirifice devinxit devincitque amorem, ex utroque fonte omnia difluunt religionis officia. Et quidem nil Deo nobilius, perfectius nihil, nihil magnificentius excogitari potest: perfectiones omnes ille continet, et quæ divisa beatos afficiunt, collecta tenet. Ideoque cum in bonum ingenita quadam inclinatione feramur, in id ferri ardentius et vivi-

dius debemus, quod summum bonum est, quod perfectius, quod dignius est. Immutabilis ergo rerum ordo postulat ut Deum supra omnia diligamus, ut eum præstantissima natura donatum et in cujus conspectu pulvis sumus et cinis revereamur et adoremus.

Quid si Deum veluti beneficientissimum hominum provisorem et patrem inspicimus, a quo sunt omnia quæ sumus habemusque, qui præces nostras et vota et lachrymas benigno excipit favore, qui nova semper instaurat bonitatis exempla? Tam miser nemo, tam neglectus, tam duro fato et in pœnam genitus est ut non tantam munificentiam senserit (*Senec. de benef. l. 4. c. 4*). Hæc porro expendentes intelligimus nos infinitis propemodum vinculis Deo ligari, ut amorem, benevolentiam et gratum animum ei exhibeamus.

Hæc autem, ut paucis rem omnem complectamur, sunt religionis naturalis officia. 1.° Necesse est ut Deum cognoscamus: *religionis*, ait Æpitectus, *Ench.* c. 38, *erga deos immortales præcipuum illud esse scito rectas de his habere opiniones.* Dei scientia prima est omnium scientiarum: Deum cœlum et terra, et opera manuum ejus annuntiant. Ne simus igitur sicut reptilia quæ reptant super terram; seu litteris, seu scientiis, seu publicis seu privatis negotiis operam demus, omnia sint veluti gradus quibus ad rerum omnium fontem ascendamus. Jam vero nullum est Dei attributum a quo non aliqui deducantur religionis affectus. Ex *immensitate* qua illum ubique præsentem esse admonemur, nos puriores esse in conspectu divini numinis intelligimus; ex *immutabilitate* nascitur in nobis certissima promissarum spes; ex *sapientia*

et *providentia* intima illa animi tranquillitas quæ nos in adversis solatur; ex *omniscientia* et *omnipotentia* fides dictis ejus et timor eum lædendi. Atque idem de aliis attributis affirmetur. 2.° Hæc vero omnia non interno solum, sed externo etiam visibili et publico præstari debent cultu. Et primo quidem homo constat anima et corpore, utrumque a Deo mirifice conjunctum accepit: utrumque ergo consociatum ad Deum referri debet, quod externis et visibilibus perficitur actibus. 3.° A natura autem ita sumus comparati ut societatem cum aliis hominibus constituamus: si vero societas mutuam imperat temporalium externarumque rerum commutationem, eo magis id exigit si de religione agatur sine qua nil sanctum, nil tutum esse potest. Plura insuper homines quatenus sunt societatis membra in communi beneficia recepe-

runt, tranquillitatem, concordiam in civibus, integritatem et justitiam in magistratibus, uberrimam frugum fructuumque copiam. Hæc itaque et plura alia a Deo accepta referri debent publicis religionis signis. Hinc sanctissimo consilio apud omnes populos institutum est ut templis, sacrificiis, votis, ritibus et cæremoniis obsequium publicum et solemne, debitamque Deo gratitudinem et venerationem testarentur.

4.° Præterea eodem religionis spiritu eximia quadam veneratione complectimur quidquid ad Dei cultum dirigitur. Hinc magno in honore ubique habiti sunt sacerdotes qui sacrificia offerunt, sacra administrant, divinis incumbunt laudibus, ad pietatem excitant, ad justitiam erudiunt, orationibus et hostiis Numen iratum ad clementiam inflectunt. Quin etiam templis, aris, vestibus sacris, aliisque reli-

gionis instrumentis honor habeatur, cum ipsis Divina Majestas nostrumque erga illum obsequium peculiari ratione refulgeat. Corpore itaque ad religionem composito templum ingrediamur, specialem Numinis præsentiam veneremur, nec rebus profanis vagari patiamur.

Cum veneris in templum, ajebat Pythagoras, adora; neque aliquid interim quod ad victum pertineat aut dicas aut agas.

## CAPUT TERTIUM

### RELIGIO REVELATA.

Nunc ad revelatam religionem progredientes, *Revelationis* nomine intelligimus manifestationem aliquam a Deo factam hominibus quarumdam veritatum et præceptorum quibus proinde propter divinam auctoritatem assensum præbe-

mus, et obsequenter obedimus. *Revelatio est manifestatio quarumdam veritatum et præceptorum hominibus a Deo facta:* ideoque religio revelata ea est qua Deum colimus, eique paremus lumine divinæ revelationis ductis. Quod ipsam pertinet cum omnibus theologis et philosophis affirmamus divinam revelationem necessariam esse.

Et primo quidem quoad ea quæ absolute per rationem investigari possunt. Necessarium est homini accipere per modum revelationis non solum ea quæ supra rationem sunt, sed etiam ea quæ per ipsam absolute cognosci possunt: 1.° ut citius homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat: 2.° ut cognitio Dei sit communior: 3.° propter certitudinem, cum ratio humana in rebus divinis multum sit deficiens. Ita S. Thomas: » Horum » momentorum ratio quanta sit mani-

» festissime apparet ex tristissima huma-
» narum opinionum et morum historia.
» Non solum barbaræ gentes, sed et
» cultissimi populi et ipsi celebriores
» philosophi maximam religionis natu-
» ralis et honestatis partem ignorarunt,
» multaque crediderunt et operati sunt,
» quæ natura horret detestaturque. »
Neque hic juvat recensere innumeram absurdorum numinum catervam impiosque quibus colebantur cultus, nec horribiles delineare mores quibus fœdabantur.
» Adversi enim a summo Bono (*La-
» ctant. divin. instit. lib.* 4, *cap.* 10)
» et a virtutibus ei congruentibus mor-
» tem sibi perpetuam cum Diis et cum
» bonis corporalibus quæsiverunt.... In-
» sequuta igitur hujusmodi est religiones
» impietas, sicuti fuit necesse: desierunt
» enim vultus suos in cœlum tollere, et
» deorsum mentes hominum depressæ

» terrenis ut religionibus ita etiam bonis
» inhæserunt. Sequutum est dissidium
» generis humani et fraus et nefas
» omne. »

Fatemur libenter aliquos philosophos in aliquibus bene sensisse et recta quædam morum præcepta tradidisse; atque jucundo lætoque animo de eorum sententiis et præceptis usi sumus ad aliqua juris naturalis vindicanda. At 1.° cum eorum vita, ut observat Tullius, ita mirabiliter pugnabat oratio, ut eis fuerit non didicisse melius. 2.° In pluribus omnino cæcutierunt, et quædam tradiderunt quæ primis opponuntur naturæ præceptis. 3.° In his quæ recte crediderunt ita dissentiunt inter se, ut quid credendum sit, respuendumve ambigatur. Igitur his non erat nec esse poterat illa auctoritas qua gentes ad veritatem doctrinæ morumque puritatem adduci possent.

Si ergo homines solo lumini naturali relicti tam turpiter errarunt et errant theoretice simul et practice, tum philosophi omnes tum populi, infirma admodum dicenda est humana ratio ad pie sancteque vivendum.

Hoc autem mirifice confirmatur ex tarditate inconstantia et incertitudine humanæ mentis, quibus fit ut maximis occurrant difficultatibus anteaquam homines veritatis sanctuarium pertingant. Quis subinde nesciat quanta sit humani cordis ad malum proclivitas, quanta in rationem affectuum vis, quam ardua virtus et facile vitium?

Hæc omnia evincunt naturalia tum lumina tum subsidia invalida esse ad rite instituendas gentes in iis etiam quæ humana ratione absolute investigari possunt.

**2.°** Necessariam dicimus divinam revelationem in his quæ ad Dei cultum

spectant. Quosnam ex præstantissima Dei natura atque infinita erga nos bonitate profluant obsequii, venerationis, obedientiæ, amoris gratique animi sensus satis explicavimus. Naturali insuper inclinatione quadam ad hujus religionis internos externosque actus feruntur homines. Quot nihilominus circa eos fuerunt veterum et sunt recentium errores? Quidam posuerunt humanas res divina providentia regi, et alii in rebus iisdem omnia ex fato contingere; unde aufertur omnis Deum orandi et colendi necessitas. Certum est pariter ad internum divinum cultum essentialiter pertinere ut Deum innocentia vitæ, optimo animo et virtutibus honoremus, eumque tamquam omnium nostrum primum principium agnoscentes et venerantes omnia ad ipsum, tamquam ad ultimum finem referamus. Tantum autem abest gentiles

se virtutesque suas ad Deum retulisse, ut Cotta (*apud Tull. lib. 3 de nat. Deor. cap.* 36) testari potuerit quod omnes homines fatebantur res externas prosperitatemque a Deo recepisse, virtutem autem neminem unquam Deo acceptam retulisse. Hæc de interno: externo vero cultui tanta miscebatur inhumanitas, superstitio et turpitudo ut maxime indiguerint homines Dei verbo, quo quibus signis sacrisque coli vellet declararet; quonam scilicet erga Deum utendum esset obsequii genere.

3.° Necessaria est divina revelatio ut reconciliationis media cognoscantur. Homines naturam infringere et multipliciter in Deum peccare misera demonstrat experientia: ast solo rationis lumine compertum non est homines eosdem suorum scelerum a Deo ipso veniam esse consequuturos et quonam pàcto. Quidam

philosophi nec Deum gratificari unquam nec irasci docebant; stoici gratiam non iram tribuebant Deo. Cicero putavit scelestos homines et devios, nec pœnitentia nec morum mutatione se posse corrigere. Plato reprehendebat Homerum quod Deos flexibiles esse dixerit.

His ergo positis, et naturæ nostræ attenta corruptione, homo sola ratione ductus falsa de Deo cogitans et suis passionibus indulgens, aut non putabit suorum scelerum esse pœnitendum, aut putans Deum esse inflexibilem pœnitentiam cogitabit nihil sibi profucturam: unde corde corruptus et mente obcæcatus de venia desperans se ipsum omni culparum ignominiæ tradet.

Ast dato etiam quod homines pœnitentiæ necessitatem et utilitatem agnoverint, qua ratione modum reconciliationis determinare valuerunt? » In hoc,

ita ratiocinatur S. Thomas (*part.* 3, *quæst.* 60, *art.* 5), duo possunt considerari, nempe cultus divinus et sanctificatio hominis; quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem: non pertinet autem ad aliquem determinare illud quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Quia ergo sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificatur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. »

His itaque momentis innixi necessariam affirmamus divinam revelationem.

Quod cum ita sit, num necessariam revelationem beneficentissimus Deus hominibus delegaverit inquiramus. Illum in necessariis non defuisse communis do-

ctrina est: religiones universæ revelationis divinæ agnoverunt necessitatem et existentiam professæ sunt.

Hæbrei traditione orali verba Dei conservabant, Deorum oracula gentiles, mahomethani alcoranum veluti Dei verbum venerantur; a judæis et christianis sacra Scriptura recepta est. Cum autem hujusmodi revelationes non consentiant, et una sit veritas, consequens est unam inter omnes revelationes his signis et caractheribus præstare qui soli Deo tribuuntur.

## CAPUT QUARTUM

### SIGNA REVELATIONIS.

Præcipua vero divinæ revelationis signa miracula sunt et prophetiæ. Veri nominis miracula ea opera sensibilia sunt quæ præter ratum fixumque naturæ or-

dinem fieri conspiciuntur. Et cujuscumque sint generis Deus qui facit mirabilia magna solus præstare potest: quæcumque enim a creatura fiunt, secundum ordinem naturæ fiunt, nec proinde miracula sunt. Iterum omnis creatura sub ordine constituitur quem Deus statuit in rebus, adeoque præter illum ordinem nulla ratione operari potest. Ita factum est ut si quod miraculum esset expetendum, ad Deum verum, vel falso credito, confugerent homines; et ipsi si factum sit vel factum esse putent, tanquam miraculorum auctori gratias agant. Si igitur Deus qui nec decipere nec decipi potest vera aliqua patraverit miracula in confirmationem alicujus doctrinæ, ea certissime uti divinitus revelata habenda est. Hæc de miraculis.

Prophetia autem stricte sumpta est cognitio certa et prædictio rei liberæ et

contingenter futuræ, quæ nulla arte humana nullisque naturalibus indiciis prævideri possit. Quæ igitur per prophetias certo noscuntur et prædicuntur haberi non possunt nisi a Deo; qui cum sit omniscius omnia videt novissima et antiqua et alta a longe cognoscit. Creaturis itaque inscrutabile est id omne quod non est secundum ordinem naturæ, neque divina consilia ex effectibus divinæ potentiæ possunt investigari. Ergo si quid quod præter naturalium cognitionum seriem sit et quod ex naturalibus caussis colligi non possit cognoscant et dicant homines, illud ex divina revelatione cognoscunt, ejusque præditionis caussa uni Deo referri debet.

## CAPUT QUINTUM

### DE OFFICIIS ERGA NOSMETIPSOS.

Si eorum natura indifferens atque flexibilis puriori rationis lumine temperetur, utiles atque honesti sunt affectus; sin vero a ratione deflectunt, si temperantiæ finem excedunt, si nos ad sensibilium rerum amorem cæco quodam impetu abripiunt, indecori et inhonesti censentur.

*Cura corporis.* Quamvis autem amor ille quo nosmetipsos dirigimus ad animum præsertim dirigi debeat, opportunam quoque curam corpori adhidendam esse erudimur. Itaque corpori non modo alimenta, quibus famis sitisque sensus extinguatur, sed somnus etiam et requies concedi debet, ut ejusdem fractæ vires reparentur ac idoneum fiat operationum animi instrumentum.

Hæc vero omnia adhibenda sunt, ut non quod voluptas suggerit, sed quod necessitas requirit attendatur. Corporis etiam conservandi caussa requiritur, ut cum illud infirmitate vitiari aut languere contingerit, medicinis et medicorum consilio et opere curetur. Vix tamen unquam consulere debet medicum qui stabili et firma corporis valetudine sit, qui caste sobrie parceque vixerit, atque accurata utilium et inutilium observatione, indolem proprii corporis perspexerit.

## DE SUICIDIO.

Nullo unquam in casu semetipsum occidere licet. Nos enim qui purioribus ducimur rationis luminibus non ita veterum philosophorum laudibus aut alicujus nationis usu commovemur ut suicidium adprobemus. Quin potius hoc incredibili facinore leges Dei contemni,

ipsiusque jura violari judicamus. Nulla enim naturæ necessitas talis ac tanta esse potest ut illud in nos trasferat jus quod Dei proprium est, jus nimirum vitæ et necis: nullaque est naturæ vox quæ exceptionem admittat adversus vitæ amorem ingenitum individuumque.

Vita nostra depositum quoddam est quod nemo, nisi qui dedit, repetere unquam potest: milites sumus qui stationem relinquere nequimus nisi summi imperatoris jussu. » In custodia quadam » (*Plato in Phedone*) nec decet quemquam ex ea seipsum solvere, neque » aufugere. » Quare et Cicero (*de rep. lib.* 6): » Et tibi, Publi, et Diis omnibus » retinendus est animus in custodia cor» poris, nec injussu ejus a quo ille est » nobis datus, ex hominum vita mi» grandum est; ne munus humanum a » Deo defugisse videatur. »

Præterea suicidium gravissimam Providentiæ divinæ diffidentiam continere perspicuum est. Vita enim gravibus quoque doloribus affecta eo Providentiæ consilio homini data est ut suum assequatur finem, ut hic etiam suorum scelerum pœnitentiam agat, ut tandem patientiæ meritis virtutis et victoriæ gloriam assequatur. Qui igitur ita constitutus seipsum perimit, a fine Supremi Domini declinat, de illius diffidit auxilio; et dum præsentia mala fugit, in æternas et incredibiles proiicitur angustias.

Num fortitudinis laude commendabitur suicidium?

» Rebus in angustis, facile est, contemnere vitam;
» Fortiter ille facit, qui miser esse potest. »
Martialis lib. XI in Chærem. XXXIX.

## CAPUT SEXTUM

### DE OFFICIIS ERGA ALIOS.

Eadem educitur conclusio ex vinculis quibus homines cum hominibus colliguntur. Suicidio enim spes et facultas abiicitur boni cujuscumque hominibus conferendi; nec unquam homo in eo statu versatur in quo nullum societati bonum conferre possit. Nemo enim certus est in potentiæ suæ statu diuturnum et constantem fore: atque hoc etiam dato summam hominibus utilitatem præstat qui sublime fortitudinis, patientiæ et religionis exemplum præbet. His de caussis speciali supplicio excruciari gentibus quoque persuasum fuit qui temere propriam vitam proiiciunt:

» Proxima deinde tenent mæsti loca qui sibi lethum
» Insontes peperere manu, lucemque perosi
» Projecere animos. Quam vellent æthere in alto
» Nunc et pauperiem et duros perferre labores! »

Virgilius VI. 434.

*Sui ipsius defensio.* Aliter loquendum de sui ipsius contra injustum aggressorem defensione, de qua celebriores juristæ disertissime disputant. Ut breves simus expendendum est utrum nostra defensio agi possit sine invasoris læsione et morte.

In primo casu nemo unquam dubitaverit licitam esse sui ipsius defensionem, aut minis, aut mœtu, aut alio prudenti stratagemate quod vires et audaciam frangat aggressoris. Et si hac ratione vitam meam tueri possum, licitum mihi non est vulnere et nece invasorem propulsare.

In altero casu, licet aliqua apud rigidiores ethicos sit quæstio, clarissimi tamen Genuensis pluriumque illustriorum juristarum sententiam admittimus. Nihil, ait ipse, in natura perspicuum magis esse potest quam licere nobis vi et armis ea jura defendere quæ nobis a Deo tributa sunt; quæ profecto frustra data essent nisi

tueri liceret. *Univ. Theol. Christ. Elem. tom.* 1, *lib. IV*, *cap. III*. Itaque nihil verius unquam scriptum fuisse censeo quam illud: *vim vi repellere omnia jura sinunt*, quòd ea lex non scripta sit vel nata, ut præclare Cicero disserit. *Pro Mil. XI.*

Hoc autem jus non a culpa illius qui injuste invadit, sed a natura ipsa dimanat. Natura enim hominem excitat ad suam existentiam, suamque vitam conservandam; adeoque non minus licitum est nos adversus injustum aggressorem defendere, quam contra feram irrumpentem. Id autem intelligendum est, ut explicant juristæ, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, quæ in eo posita est ut si minimo possimus nostri aut invasoris damno periculum fugere, ad invasoris mortem maximumque malum non sit confugiendum.

FINIS.

## INDEX